Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0001-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0002-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0004-6

1720.

1a.b Beckius, Caspar Achatius: De feudis transmissione fulminis. 2 Exempl. 1720 u. 1754.

2. Beckius, Caspar Achatius: De emtione prolium patriae potestatis caussa.

3. Beckius, Caspar Achatius: De legitimo juramentorum usu.

4. Beckius, Caspar Achatius: De curiis provincialibus ~~Saxonicis~~ Saxonicis.

5. Brucknerus, Gottlieb. Hieron: De venationis odio in jure.

6a.b Brucknerus, Gottlieb Hieronymus: De strategematibus advocatorum ... 2 Exempl.

7. Buddeus, Joannes Franciscus: De statu ecclesiarum apostolicarum ..

7a. Floerckius, Carolus Henricus: Summos doctoris juridici honores ... Joanni Ernesto Floerckio .. gratulari lenis epistola eademque jure consultorum adiolatorum exempla quaedam referre voluit.

1720.

8. Friese, Jo. Bernh., Ord. jur. decanus: Gottlobii Henrici Heydenreichii lectionem solemnem in dicit programmate auspicali.

9. Friesen, Jo. Bernh.: De literis feudi reversalibus.

10. Friese, Jo. Bernh., Ord. jur. decanus: Henrici Conradi Koenig lectionem solemnem indicit programmate auspicali. 2. Exempl.

11. Friesen, Joh. Bernhardus: De contractus censualis natura.

12. Friesen, Johannes Bernhardus: De mercede propter sterilitatem remittenda...

13. Friese, Jo. Bernh., Ord. jur. decanus: Justi Ditericii Vortmanni lectionem solemnem indicit programmate auspicali.

14. Pragemannus, Nicolaus: De jure epitaphiorum.

15. Schroeterus, Jo. Christianus: Programma, lectioni auspicali Pauli Guilielmi Bruckneri... praemissum.

1720.

16. Schroeterus, Jo. Christianus: De privilegiis praesertim Wormatiensis ecclesiae Romanae non competente.

17. Schroeterus, Jo. Christianus: De austregis conventionalibus Serenissimae Domus Saxoniae

18. Schroeterus, Jo. Christianus, Fac. jur. decanus: Programma, lectioni auspicali Wolfgangi Andreae Maieri ... praemissum.

19a. b Schroeterus, Jo. Christianus, Ord. jur. decanus: Programma, lectioni auspicali Christiani Gottliebi Moriz ... praemissum. 2 Exempl.

20. Schroeterus, Joh. Christ.: De commodo, vel incommodo ex alterius persona accidente, quod ex sua non habuisset.

21. Schroeterus, Jo. Christianus, Ord. jur. decanus: Programma, lectioni auspicali Christiani Adolphi Schelhasii ... praemissum.

1720.

22. Slevogtius, Jo. Philippus: De origine bonorum mensae Episcopalis.

23. Struvius, Burcardus Gotthelffius: De territorio clausi civitatum Imperialium.

24. Struvius, Fridericus Gottlieb: De jure socerorum.

25. Struvius, Fried. Gottl.: De dominio mariti in reb. uxoris immobilibus in aestimato in dotem datis

26. Wildvogelius, Christianus: De differentia consensus sponsalitii et matrimonialis.

27. Wildvogelius, Christianus: Tribonianus circa legem Laetoriam non errans

28. Wildvogelius, Christian: De juramentis Judaeorum

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA
DE

# STRATEGEMATIBVS ADVOCATORVM,

VULGO Von

# Advocaten-Streichen/

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*
**DN. GVILIELMO HENRICO,**
DVCE SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ, AC MONTIVM, ANGARIÆ, GVESTPHALIÆQVE, ET RELIQVA.
*EX DECRETO ET AVTORITATE ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS*
IN ALMA SALANA
SVB MODERAMINE


**GVILIEL. HIERONYMI BRÜCKNERI,**
JCTI CELEBERRIMI, CONSILIARII SAXONICI, PANDECT. PROF. PVBL. ORDIN. CVRIÆ PROVINC. JENENS. FACVLT JVRID. ET SCABIN. ASSESSORIS SPECTATISSIMI.


*PATRONI, PRÆCEPTORIS, STVDIORVMQVE PROMOTORIS SVI AD EXTREMVM VSQVE HALITVM DEVENERANDI,*
PRO
**DIGNITATE DOCTORALI**
PRIVILEGIISQVE EIDEM ANNEXIS RITE OBTINENDIS
IN AVDITORIO JCTORVM MAIORI
*Die 3. Febr. MDCCXX. horis ante & pomeridianis conſuetis defendet*
AVTOR


FRIEDERICVS AMANDVS TRAVTMANN
NORTHEMIA-HANNOVER. ADVOCAT. IENENS.



*JENÆ,* LITTERIS MVLLERIANIS.



4
1720,6 a
7



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0009-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0010-8

*Per-Illuſtri ac Generoſiſſimo Domino,*

DOMINO

# FRIEDERICO GOTTHILFIO MARSCHALLO, DICTO Greiff,

S. R. I. Lib. & Immed. Ord. Equeſtr. Franc. Equiti, Hereditario Domino in Einöda, Erlnbacchio, Bailbaria, Oſmanſtadio & Ilmsdorffio &c. Sereniſſimæ Domui Ducal. Saxo-Vinarienſi à Conſiliis Sanctioribus nec non Aulicis, Supremo Aulæ Mareſchallo Splendidiſſimo, Curiæ Provincialis Saxo-Duc. Communis Aſſeſſori, ut & Præfecturæ Roslenſis & Vogdiæ Gebſtadienſis Capitaneo Graviſſimo, ac reliqua.

*Nec non*

*Per-Illuſtri, Excellentiſſimo atque Conſultiſſimo Domino,*

DOMINO

# LVDOVICO HENRICO HEYDENREICHIO,

JCto Conſummatiſſimo, apud Sereniſſimos Saxo-Vinarienſes Duces Conſiliarii Intimi, Vice-Cancellarii & Provincialis ærarii Communis Directoris munia ſplendidiſſima maxima cum meritorum celebratione per plures annos jam obeunti, & reliqua.

*Vt &*

*Illuſtri, Excellentiſſimo ac Conſultiſſimo Domino,*

DOMINO

# JOHANNI GOTTLIEBIO ALBERTI,

JCto Famigeratiſſimo, Sereniſſimorum Ducum Saxo-Vinarienſium Conſiliario Aulico & Camerali Spectatiſſimo ac reliqua.

*Dominis ſuis Gratioſisſimis ac Patronis Optumis, Maxumis*

Specimen hoc inaugurale

*animo*

Gratiæ, Patrocinii & Summæ Ipſorum Benevolentiæ

unice appetentisſimo

humillime conſecratum offert

*ſubjectiſſimus, devotiſſimusque*

AVTOR.

# Summaria Diſſertationis.

PRÆLOQVIVM continet (α) Diſtinctionem Militiæ in Sagatam & Togatam, bujusque ſpecies, (β) Comparationem Militiæ Advocatorum Togatæ cum Sagata. CAP. I. Generalia circa ſtrategemata exponit & quidem §. I. Signifiationem vocum ſtrategematis, Advocati & τὸ Germanici Streich. §. II. Genus ſtrategematum. §. III. Definitionem ſtrategematum & modum iſta exercendi per (α) ſimulationem, (β) diſſimulationem, & (γ) alios modos. §. IV. Diſtinctiones ſtrategematum. § V. Moralitatem (α) ſtrategematum, (β) Sermonis, (γ) ſimulationis, & (δ) diſſimulationis it. (ε) Mendacii & falſiloquii per Theſes quasdam, in principiis Juris Naturalis & Theologiæ poſitivæ fundatas, tractat. §. VI. In foro ſoli ſtrategematum uſum eſſe licitum evincitur. §. VII. Strategematum applicationem in cauſa (α) juſta, (β) injuſta, & (γ) Dubia ſubjungit, ac §. VIII. Contraria ſtrategematum annectit. CAP. II. Siſtit ſpecialia ſtrategematum, ubi §. I. Quæſtiones hæ: An rectum ſit de ſtrategematibus illicitis ſcribere eorundemque exempla enumerare? 2. An idem facere conſultum ſit? 3. An de ſtrategematibus licitis ſcribere horumque exempla proponere liceat? 4. An idem facere ſit conſultum? per Rationes Dubitandi & Decidendi reſolvuntur. §. II. Digreſſionem ad exempla quadam ſtrategematum facit, & §. III. ſtrategemata licita circa Proceſſus civilis Antecedentia, §. IV. autem eorundem circa Proceſſus Civilis ipſius partes aliquot & quidem (α) Libellum, (β) Probationem, (γ) Remedia ſuſpenſiva & devolutiva ac (δ) ſententiæ executionem, exempla enarrat. §. V. Strategemata talia circa Antecedentia Proceſſum criminalem & §. VI. horum circa Proceſſum ipſum Criminalem nimirum (α) Defenſionem pro avertenda, (β) Teſtes inquiſitionales, (γ) torturam, & (δ) ſententiæ executionem exempla recenſet. §. VII. Strategemata illicita circa Antecedentia Proceſſum Civilem & §. VIII. eorum circa ipſum Proceſſum civilem, videlicet hujus (α) Litis-conteſtationem & Poſitiones, (β) Probationem, (γ) juramenti delationem, (δ) Confeſſionem partis adverſæ, & (ε) Remedia ſuſpenſiva ac devolutiva, exempla proponit. §. IX. Talia circa Proceſſus Criminalis Antecedentia refert, & §. X. Per hujusmodi exemplorum allegationem, circa (α) Defenſionem, (β) Teſtes, (γ) Torturam, & (δ) ſententiæ executionem, coronidem imponit.

# PRÆLOQVIVM.

IMperatoriam majeſtatem ad utrumque & belli & pacis tempus recte in Rep. gubernandum non ſolum armis decoratam ſed & legibus armatam eſſe oportere tradit Conditor & Reſtaurator ille juris feliciſſimus Juſtinianus *Prooem. Inſtit.* eoque ipſo haud obſcure declarat, leges & arma duo egregia eſſe Reip. fulcra, ac horum conjunctionem eſſe valde neceſſariam, affinitatemque maximam. Sicuti enim unum ſine altero vix conſervari poteſt juxta *L. advocati 14. C. de Advocat. diverſ. judic.* ita arma & leges *fraternizare* dicuntur apud Beſold. in Theſaur. Locuplet. L. I. cap. 79. ax. 3. & *jura* gladio ultore *armari* confirmat *L. cum vir nubit 31. C. ad L. Jul. de adult.* ac licet MILITIAE vocula proprie loquendo ad belli ſectatores ſpectet, qui vocantur milites armati ſeu ſagati, & proprie militare dicuntur in *L. 1. C. & L. 9. π. de jur. & fact. ignor. it. L. 18. de re Jud. & L. 4. C. qui dare tutor. l. curat. poſſ.* de aliis tamen etiam analogice dici conſtat. Ita eadem ADVOCATIS tribuitur in *L. 14. C. de advoc. diverſ. judicior.* uſurpatur & de iis, qui in ſcriniis ſacris militant, unde in ſpecie dicitur *literata L. 8. C. de proxim. ſacror. ſcrin.* datur & *militia* CLERICORUM *in can. ſi officia 2. Diſt. 59.* item

*Diſtinctio Militiæ in Sagatam & Togatam, hujusque ſpecies.*

*Palatina* eorum ſc. qui conſiliis opem ferre & alia munia aulica obire ſolent *t. t. C. de privileg. cor. qui in ſacr. Palat. milit.* Et tandem quævis functio publica hoc nomine inſigniri videtur in *L. 5. & 8. C. qui milit. poſſ. vel non.* Hujusmodi militia ad differentiam prioris ſagatæ *togata* appellari conſuevit, à *toga*, veſtimento inter Romanos uſitato, qui *jus togæ* maxime inter privilegia quorundam civium Romanorum referebant, *vid. Gothofr. ad L. 32. π. de Jur. Fiſc.* qua veſte pacis ſaltem tempore utebantur Romani teſt. *Roſin. L. 5. antiquit. cap. 32. lit. P.* Quamvis vero toga fuerit multorum ordinum veſtitus, advocatorum tamen præcipue cenſebatur; uti hoc deducit Briſſonius in Lexico ſub voce Togati; unde & Advocati appellabantur Togati, *add. L 6. C. de advoc. div. judicior. & Cic. lib. 1. de Orator. p. m. 81.* vid. de his plura apud *Magnific. Dn. Tenzelium in Progr. de Militia Togat. Advocat.*

*Comparatio militiæ advocatorum Togatæ cum Sagata.*

Hæc militia togata reſpectu litium forenſium conſiderata, quamvis cum illa ſagata in paucis e. g. quoad cauſam efficientem, item vim violentam & moralem diſconveniat, eandem tamen in plurimis cum illa convenire in aprico eſt; dum utraque perſecutio ac defenſio juris competentis eſt, & cauſam aut juſtam aut injuſtam aut dubiam pro fundamento habet, ac *illius ſagatæ ſc.* denunciatio ſeu declaratio belli, quæ per litteras manifeſtatorias (Krieges-manifeſte) hodienum fieri ſolet, *hujus nempe togatæ libelli oblationi ac citationi*, notificatio belli ſociis facta, *litis denunciationi*, perſonæ militantes cum ſuis

præ-

præfectis, *partibus litigantibus & ipſarum advocatis*, mediatores (*mediateurs*) *arbitris compromiſſariis ac Commiſſariis*, ſigna militaria & exercitia bellica, *ſolennitatibus & ordinationibus judicialibus*, locus conflictus (Wahlſtatt,) *loco judicii*, perſonæ principales partes ſc. belligerantes, *actori & reo*, minus principales utpote ſocii confœderati, *advocatis*, *procuratoribus*, *teſtibus &c.* fœdera ad ſopiendum bellum à tertio facta, *litis-interventioni*, parole, (Loſung,) Feldzeichen, *legitimationi*, confirmatio belli per retorſiones, (repreſſalien), *litis-conteſtationi*, prælia, conflictus, ac obſeſſiones, (bataillen, rencontres, Belägerungen,) *pro & reprobationibus*, *de- & contrademonſtrationibus*, conventiones mutuæ de redimendis captivis initæ, *compromiſſo*, induciæ, (Waffen-Stillſtand,) *dilationibus* (Friſten,) pacificationes, (Friedens-Schlüße,) *tranſactionibus generalibus*, capitulationes, *tranſactis ſpecialibus*, aciei inſtructio, (Schlacht-Ordnung,) *Inrotulationi actorum*, Acta militaria, (Krieges-Cantzley, oder Archiv,) *Actis publicis ſeu judicialibus* Judicium bellicum, (Krieges-Rath,) *Judici & Collegiis JCtorum*, profligatio hoſtium, *ſententiæ*, refugii tuti quæſitio & prælii redintegratio, (eine wohleingerichtete retirade und Setzung, darnach avancirung und poſto-Faßung,) *remediis ſuſpenſivis*, *devolutivis*, *nullitatis*, *ſupplicationis ac reſtitutionis in integrum*, occupatio territorii hoſtilis &c. *executioni ſententiæ &c.* ſat commode reſpondent, & ſicuti conſilia ac ſtrategemata bellica maximam rem inter partes belligerantes non raro conficere ſolent, ita in litigiis forenſibus

ſibus à machinationibus ac cautelis callidorum cauſæ defenſorum ſæpiſſime victoria litis dependet. Quamobrem hoc remedium, quod perverſis noſtris temporibus à plurimis tam cum maximo proximi detrimento ac diſpendio propriæ ſalutis quam cum dedecore ordinis impie adhiberi videmus, paucis in ſequenti tractatione conſiderandum eſſe arbitrati ſumus. Quod ut feliciter ſuccedat, opem divinam humillime imploramus.

# Cap. I.

## *Generalia circa Strategemata exponens.*

### §. I.

*Significatio vocum Strategematis.*

Vocabulum *ſtrategema* eſt origine græcum, & rectius ſcribitur in latina lingua *ſtrategema*, quam vulgo exprimitur *ſtratagema*, quoniam græcum τὸ ϛρατήγημα duo η continet, & ſicuti η in penultima per latinam literam e ſcribitur, ita in antepenultima, ubi pariter η occurrit, etiam per e ſcribi debet. Hoc vocabulum primitus uſurpatum eſt in diſciplina bellica, deinde translatum ad alias diſciplinas, affinitatem quandam cum bello habentes. *Strategema* enim deſcendit à verbo ϛρατηγέω, quod ſignificat ducem exercitus ago, igitur τὸ ϛρατήγημα *Strategema* ſecundum originem ſuam denotat geſtum militare. Et cum duces bellici plerumque ſint homines

mines callidi ac prudentes, qui omnem navant operam, ut hoſtes calliditate ſua circumveniant vincantque, inde factum eſt, ut callida eorum conſilia, quibus hoſtes circumvenerunt ac vicerunt, dicta fuerint ſtrategemata.

*Advocati*

*Advocati* vox eſt latina, ortum trahens ab *advocando*, quod illi a clientibus *in auxilium advocari ſeu anxie vocari* ſoleant, ut patrocinium vel opem in cauſis coram judicio ventilandis præſtent; unde & *Patroni cauſarum* appellantur. Dicuntur & *Cauſidici*, quaſi cauſam dicentes, (hinc germanicum in ſenſu tamen ſiniſtro ſumtum Cauſen-Macher) item *oratores*, *rhetores & milites togati* ut ſupra.

*Germanicæ vocis:* Streich.

Vocula Germanica Streich convenit proprie gladiatoribus cæſim (auf den Hieb) pugnantibus. Hi ſæpe aliud ſimulant diſſimulantque, ac intendunt, ſie machen eine Finte. Ubi jam hoc modo fallunt adverſarium, dicuntur: Sie haben dem Gegner einen Streich verſetzet oder angebracht. Si vero ars arte eluditur & adverſarius ictum prompte declinat, dici ſolet: Der Streich iſt mißlungen, oder er hat einen Bloßen geſchlagen. Unde commode ad partes in judicio diſceptantes adplicari poterit. Noluimus adhibere vocabula: Dolum, fraudem, fallaciam, deceptionem, circumductionem, circumventionem, inſidias, ſophiſma, cavillationem, calumnias & iniquitates, quarum Imperator *in proœm. Inſtit.* mentionem facit, item Räncke, Griffe, Stückgen, Fineſſen, Sophiſtereyen Chicanen &c. quæ plerumque in malam partem accipiuntur. Licet enim dolus alias diſtinguatur in bonum & malum, juxta *L. 1. §. 2. & 3.*

*π. de dol. mal. L. 77. §. 31. π. de leg. 2. L. 19. §. 3. π. de neg. geſt. Bargal. de dol. lib. 1. c. 3. & t. t. π. & C. de dol. mal.* tamen cum vocabulo doli ſimpliciter poſito malus intelligatur per *cit. L. 77. §. 31. π. de leg. 2. L. 1. §. 3. π. de dol. mal. & L. 23. π. de R. J. it. L. 5. §. 2. π. Commod.* & dolus in genere machinatio alium ſcienter & maligno animo lædendi in *L. 71. §. 8. π. de A. v. O H. & L. 1. pr. & §. 12. π. Si quis omiſſ. cauſ. teſt. ac L. 12. §. 1. π. de incend.* dicatur, maluimus hoc vocabulo abſtinere, quoniam nobis propoſitum eſt, potiſſimum de ſtrategematibus licitis agere.

§. II.

*Genus Strategematum.*

*Artes, techna, argutiæ, calliditas, verſutia, cautelæ,* generis vicem obtinent in ſtrategematibus, & latius patent quam ſtrategemata. Non enim omnes cautelæ ſunt ſtrategemata; ſic inter cautelas advocati refertur (α) ne temere lædat judicem, cum ſæpe plus valeat favor in judice, quam lex in Codice, & nequitia quorundam judicum, licet Argi habeas oculos, aliquando non ſolum non præviderì ſed ne præviſa quidem probari & evitari poteſt. (β) ut quotidie inſpiciat calendarium, & in eo notet tam terminos in cauſis ſuis a judice conſtitutos quam fatalia. (γ) ut ſententias Collegiorum Juridicorum ſibi reddat perſpectas, & proteſtetur contra talia, quæ opinionem ſibi contrariam tuentur. (δ) ut ſit brevis & perſpicuus ac ſtudeat accuratæ demonſtrationi. (ε) ut in cauſa bona petat ſimul rationes dubitandi & decidendi, quo diligentius acta a ſententionantibus perluſtrentur (ζ) ut in cauſa dubia tranſigat cum adverſario, ubi ſententiam victricem obtinuit;

hæc

hæc autem & ſimiles cautelæ non ſunt ſtrategemata.

§. III.

STRATEGEMATA advocatorum ſunt *callidæ & argutæ molitiones, eo tendentes, ut advocati in negotiis juridicis potiantur fine ſuo.* Sicuti autem finis, quem intendunt, plerumque eſt victoria litis, ita ad hanc obtinendam ut plurimum adhiberi ſolent ſtrategemata. Exercetur calliditas iſta variis modis 1. *ſimulatione* e. g. (α) ſi quis adverſus ſententiam ſibi non contrariam pro forma, ut vulgo dicitur, leuterationem l. appellationem ſive in totum ſive in tantum interponit & ſe gravatum per hanc ſimulat, ad hoc, ut pars adverſa eandem ſibi favorabilem, cum tamen non ſit, exiſtimet, & illam ex parte ſua vires rei judicatæ nanciſci patiatur; aut, ſi quis appellationi l. leuterationi interpoſitæ eum in finem renunciat, ut pars adverſa neglectu fatalium probationem aut juramentum deſerat. (β) ſi quis judicem ſibi contrarium videns proteſtationem contra illud JCtorum Collegium, in quod acta transmitti cupit, eum in finem facit, ut judex ſpe futuræ ſententiæ contrariæ acta eo mittat, dum poſtea proteſtans quaſi pœnitentia ductus judicis arbitrio permittit, ut acta judex ad Collegium, quodcunque ipſi placuerit, transmittat. (γ) ſi quis aut judicialiter aut extrajudicialiter tractationem amicabilis compoſitionis facit, ut per hanc aduerſarii fundamenta cauſæ cognoſcat, (δ) ſi quis transactionem exoptans profitetur, ſe omnibus viribus litem continuaturum, præprimis cum ſit dives, adverſarius autem & pauper & a proceſſu abhorrens. (2.) *Diſſimu-*

*Definitio Strategematum.*

*Modus iſta exercendi.*

*(1.) Simulatione.*

(2.) *Diſſimulatione* *latione* v.g. (α) ſi diu cauſa per proceſſum fuit agitata, & rationes plures pro & contra adductæ, poſtea petitur Reſponſum a Collegio Juridico, ubi quidem factum cum omnibus circumſtantiis plene proponitur, ſed quoad jus aliquæ ſaltem rationes adverſarii adferuntur, potiores autem reticentur, ut favorabile Reſponſum, ſi non ad reportandam litis victoriam, ad minimum tamen quoad compenſationem expenſarum obtineatur. (β) Sententiam ex parte ſibi favorabilem in totum prædicare favorabilem & leuterationem ſeu appellationem in ultimo ferme decendii momento interponere, quo inde adverſarius ſub ſpe non interponendi remedii ſuſpenſivi l. devolutivi ex ſua parte tale remedium negligat, quod de interpoſita adverſarii leuteratione edoctus non neglexiſſet, & ſic ſententia quoad favorabilia in rem judicatam tranſeat, (3.) *Aliis modis* e.g. (α) ponderoſiores rationes in principio & fine poſitionum ac ſcriptorum ponere, leviores autem in medio. (β) Potiores juris rationes ut & exactiorem factorum explanationem ad ultimam poſitionem, cui reſpondere adverſario non licet, reſervare. (γ) denominationem actionis per ſe non ita claræ ab actore petere, ut fundamentum agendi reddatur dubium. (δ) Reſponſum juris ab illo collegio clam petere, in quod, ut locum ordinarium, acta ſunt tranſmittenda, ut aut per id favorabilis ſententia obtineatur aut mediante illo contra tale Collegium proteſtatio cum effectu fiat. (ε) In petitione Reſponſi juris ad quæſtiones aliquot a Collegio formandi rogare, ut, ſi aliqua quæſtio contra petentem ſit decidenda,

(3.) *Aliis modis.*

iſta

iſta ab iſto Reſponſo excludatur, & vel plane non reſolvatur, vel in peculiari ſcripto ponatur. (ζ) Adverſarium a graviore, quod pro ipſo militat, argumento deflectere, & ad leviores rationes perducere, quod vocare ſolent. Eine Diverſion machen.

§. IV.

Diſtinguuntur STRATEGEMATA (1.) in offenſiva & defenſiva. (2.) in licita & illicita, de quibus infra. (3.) in ea quæ in proceſſu & quæ extra proceſſum e. g. in condendis teſtamentis, ineundis contractibus, & aliis negotiis adhibentur. Cum autem advocati plerumque in proceſſu clientibus præſtent patrocinium, conſiderabimus maxime ſtrategemata proceſſualia. (4.) in ea, quæ advocati noviter excogitant pro ingeniorum ſuorum ſubtilitate, & ea, quæ in aliis autoribus legerunt, aut ab aliis audiverunt, poſteaque exercent. Non enim poſſunt omnia ſtrategemata recenſeri, utpote quæ ſunt infinita. Contingit ſæpius, ut quis ex ſuo ingenio jam excogitet artem aut technam, quæ forte jam olim ab alio fuit inventa & exercita, ubi tamen is, qui jam illa utitur, non didicit vel audivit eam ab alio. Siquidem raro aliquid novi fit ſub ſole, cum judicium & ſagax ingenium multum valeat in practico, & quo quis eſt ſagacior, eo aptior ad excogitanda ſtrategemata exiſtat. (5.) in ea, quæ conſiſtunt in ſimulatione, & ea, quæ in diſſimulatione, item ea, quæ neutro ſed alio modo exercentur, quorum exempla ſupra & infra legere licebit. (6.) in ea, quæ advocati adhibent in propria & in ea, quæ in aliena cauſa exercent. (7.) in ea, quæ ſunt theoretice propoſita, & ea, quæ practice uſurpata;

*Diſtinctiones Strategematum.*

pata : ſic quæ traduntur in libris, & hactenus nondum adhibita, magis ſapiunt theoriam, quæ vero in actu rerum exercentur, magis redolent praxin. Advocati ſibi reddant perſpectam materiam de ſtrategematis & evolvant tractatus aut libros, in quibus exponitur hæc materia. Sicuti enim bonus Imperator bellicus non contentus eſt propria experientia, ſed perlegit libros, de arte bellica tractantes, ubi ſuppeditantur conſilia & ſtrategemata; ita advocatus prudens non propriis tantum nit tur inventionibus, ſed & evolvit libros, num ex illis quædam in ſuccum & ſanguinem convertere queat. (8.) alia, quæ in patrocinio clientum ſuorum exercent, alia, quæ extra patrocinium tale aut rogati aut non rogati aliis ſuggerunt. (9.) alia, quæ in bona, alia, quæ in mala, & alia, quæ in dubia cauſa ab advocatis adhibentur. (10.) alia quæ in præſenti exercentur, alia, quæ jam exercita fuerunt, alia, quæ in futurum exercenda ſunt. (11.) alia, quibus advocati finem ſuum aſſequuntur, alia, quæ fine intento deſtituuntur. Et quis omnes diſtinctiones recenſebit? Jam moralitas ſtrategematum, quæ ab advocatis adhibentur, venit conſideranda, h. e. num ſalva conſcientia illis uti liceat ?

§. V.

*Moralitas ſtrategematum.*

MORALITATEM *ſtrategematum* conſideratione digniſſimam eſſe, nemo ibit inficias: Cum autem iſta in *ſimulatione, diſſimulatione, aliisve modis*, prout ſupra dictum, conſiſtant, & ſic vel per *Sermonem* vel per *geſtus* (*facta*) vel per *eorum intermiſſionem* exerceantur, ante omnia moralitas ſermonis geſtuumque, ut duorum illorum ſignorum externorum ad declarandas

men-

mentis cogitationes aptorum, excutienda erit. *Sermo* iſte ſive *vocalis*, ſive *ſcriptus*, uti homini præ cæteris animantibus proprius & præſtantisſimum ſocietatis humanæ vinculum eſt, ita *primarium* omnium læſionum & pactorum *inſtrumentum* dici meretur. *Sermo*

*Simulatio* & *Diſſimulatio*, ut dixi, peragitur *vel verbis vel factis (geſtibus) vel utriusque intermiſſione*. *Verbis* fit ſimulatio e. g. ſi Judæus, in animo ſuo chriſtianam religionem improbans, aliud tamen dicit & Chriſtianum ſe eſſe profitetur. *Factis ſeu geſtibus*, quando Judæus utitur Sacra Cœna, aliisque Chriſtianos a Judæis diſtinguentibus. *Intermisſione*, quando v. g. quis negotium ad ſe ſpectans in ſua præſentia fieri permittit & ſic facienti approbaſſe id videtur, cum tamen in animo ipſi illud diſpliceat, unde illud, *qui tacet conſentire videtur*, quamvis cum grano ſalis & cæteris paribus hoc dicterium accipiendum ſit. Pariter *Diſſimulatio* exercetur *vel verbis* v. g. quando quis interrogatus, cur huc venerit, unum profert & alterum, quod etiam ipſum movet, reticet; *vel factis*, ſi quis ſigna externa animi cogitatis contraria profert, eoque ipſo intendit videri non cogitare id, quod tamen cogitat; *Vel verborum, factorumque Intermiſſione*, quando quis ea ſigna externa, ex quibus animus ejus poterat colligi, omittit, & per hoc videri vult, non cogitare id, quod cogitat. Sæpe ſimulatio involvit diſſimulationem & vice verſa, ut hæc duo ſint conjuncta, quod patet in caſu jam adducto de Judæo; is enim dum ſimulat religionem chriſtianam, diſſimulat Judaicam. Ut autem clarius conſtet, quænam ſtrategemata ſtatuamus *Simulatio & Diſſimulatio.*

 licita,

licita, quænam illicita & quibus fundamentis nitatur moralitas, h. e. eorum bonitas vel malitia in genere morum, ſententiam noſtram ſequentibus theſibus primo exemplis illuſtrandis dein demonſtratione ſuffulciendis includemus. (a) *Simulatio & Diſſimulatio quoad facta ut ens phyſicum in genere & per ſe ſpectata non eſt illicita, fit autem pro finis & modi applicandi aliarumque circumſtantiarum moralitate aut bona aut mala.* Ita Salvator ipſe ſimulavit, ſe longius progreſſurum Luc. XXIV. 28. & in V. T. finxit ſe adverſarium Jacobi Gen. XXXII. 24. ſeqq. Sic Paulus Apoſtolus circumcidit Timotheum in gratiam Judæorum infirmorum Act. XVI. 3. & ſimulavit utilitatem circumciſionis, etiam in N. T. adhuc durantem, cum vero aliqui falſi fratres circumciſionem urgerent, velut ad ſalutem neceſſariam, Titum circumcidi non eſt paſſus Gal. II. 3. 4. Joſua etiam ſimulavit metum per fugam, ut cives urbis Ai, fervide ſuos perſequentes, ex inſidiis divino juſſu opprimeret, Joſ. VIII. 2. 3. & ſq. Contigit aliquando, ut quidam potatores invicem convenirent de inebriando Sempronio; hic ſtrategemate illorum illuſit propoſitum, dum hauſtis quibusdam poculis ſimulavit ebrietatem jam contractam, prolapſus in terram. Duxerunt poſtea illum, veluti temulentum, domum, in quam ubi ſe recepit, brevi & eleganti ſermone gratias egit illis pro comitatu, & tunc animadverterunt, ſe fuiſſe affabre circumventos. Facilius adhuc procedit *diſſimulatio*, ut careat vitio. Non enim ſemper tenemur, factis externis declarare, quid alta mente repoſtum habeamus. Et quoniam id per

ſe ſatis notum eſt, exemplis haud illuſtrabimus. (b) *Nec Diſſimulatio quoad verba continet in ſe aliquid honeſtati & juſtitiæ repugnans, ſed vitium ſaltem aut virtutem pro bonitate aut malitia finis & modi applicandi ut & ceterarum circumſtantiarum involvit.* Declaro id duobus memorabilibus exemplis e V. T. petitis. *Samuel* mandato Dei dixit, quod veniſſet Bethlehemum, ad offerendum Deo Sacrificium; verum quidem id erat, ſed aliam eamque potiorem cauſam reticuit, nempe ut loco Sauli Davidem, tanquam futurum Iſraelitarum Regem ungeret, *1. Sam. XVI. 2. 3. & ſeqq. Propheta Jeremias* in profundam foveam fuerat dejectus, e qua Rex Zedekia ipſum curavit extrahendum, exploraturus eventum obſeſſionis Jeruſalem, ſed veritus, ne, ſi primores populi reſciſcerent Jeremiæ vaticinium ſibi denunciatum, hunc e medio tollerent, quem tamen ſalvum fore promiſerat, conſilium dedit, ut interrogatus Propheta a primoribus, quem ſermonem cum Rege miſcuiſſet, diceret, ſe Regem oraſſe, ne denuo in deterrimam illam foveam detruderetur, quod ipſum veritate quidem nitebatur, ſed principaliorem ſermonem, quem cum Rege habuit, diſſimulavit, *Jer. XXXVIII. 24. 25.* Ratio, quam ante adduxi quoad diſſimulationem factorum generaliter non improbandam, etiam ad diſſimulationem verborum quadrat. Sed jam (c) major oritur dubitatio, *utrum in genere probari an improbari debeat ſimulatio, quæ fit verbis?* quando ſc. aliud verbis profertur, aliud mente concipitur, qualis ſimulatio *mendacium* vocari ſolet. Ubi notandum, differre *mendacium* a *falſiloquio*; illud eſt, ſi quis aliud verbis

 pro-

*Mendacium.* profert, ac in mente habet, (vel, *quando verba non conveniunt animo)* hoc, ſi quis aliud dicit, quam quod in rei veritate ita ſe habet, (vel, *quando verba non conve-*
*Falſiloquium.* *niunt rei veritati)* ita ſi Cajus exiſtimans, Gallos nuperrime ab Hiſpanis eſſe devictos, contra propriam opinionem dicit, Gallos extitiſſe victores, mentitur, licet Galli revera fuerint ſuperiores; Contra ſi Cajus credens, Hiſpanos a Gallis eſſe ſuperatos, hoc profitetur, quod tamen reipſa falſum eſt, non mentitur; & ſic verum dicens poteſt mentiri, & falſum proferens non mentiri: unde *differentia* patet *mendacii* & *falſiloquii.* Plerumque mendacium eſt falſiloquium, & falſiloquium eſt mendacium, ſed non ſemper. Jam quæritur, *an mendacium ſit aliquid per ſe illicitum, ut nullo non caſu accipi debeat pro peccato?* Affirmativa videtur eſſe fundata in Sacris litteris, *Prov. XIII. 5. c. XXX. 8. Pſ. V. 7. Coloſſ. III. 9.* ubi ſimpliciter damnatur mendacium. Aſt videbimus jam exempla in contrarium. *Obſtetrices Hebrææ coram Pharaone,* licet ipſis imperante, mendacium dicebant *Exod. I. 19.* & ſtatim divinus ſcriptor, ubi hoc refert, ſubjungit *v. 20. & 21. Et benefecit Deus obſtetricibus --- Et quia timuerunt obſtetrices Deum, exſtruxit eis domos. Rahab exploratores* ab Iſraelitis Hierichuntam miſſos per mendacium negavit, amplius in domo ſua, ubi tamen ipſos in tecto abſconderat, verſari, profeſſa, ipſos egreſſos in via poſſe deprehendi *Joſ. II. 4. 5. 6.* Et fides *Rahab* prædicatur in epiſt. ad *Hebr. XI. 31. Salomon* Rex juvenis ſpecimen edidit ſummæ ſapientiæ, dum per mendacium, quo præſeferebat infantem meretricis vivum ſe diſſecturum, veram ejus matrem in lucem pro-

traxit *I. Reg. III. 24. & ſeqq.* Si quis ob *ebrietatem* aut *iracundiam* in furore quaſi conſtitutus aut vere *furioſus* vel *mente captus* expoſcit gladium, ut innocentem hominem trucidet, non male per mendacium, quo negatur adeſſe gladius, a propoſito avertitur. *Medicus* propinans ægroto ſalutarem potum, negare poteſt, hoc vel illud, quod ægrotus ſumere detrectat, admixtum eſſe potui, modo ſanitatem per id mendacium probabiliter reſtituat; Toties etiam, quando ægroti exhorreſcunt mortem, medici animadvertentes, ſat periculoſum eſſe morbum, profiteri ſolent, & quidem recte, non tantum ſubeſſe periculum, ne præ timore mortis ægroti augeant gravitatem morbi. Attemperavit *ſe Apoſtolus Paulus* ad captum infirmorum auditorum, quale ſupra exemplum adduxi quoad *Timothei* circumciſionem. In *I. Cor. IX. 22.* dicit Apoſtolus: *Factus ſum infirmis ceu infirmus, ut infirmos lucri faciam.* Quæ verba eleganti ſimili poſſunt illuſtrari: *Infans* morbo decumbit, medicinam ſumere detrectans. Pater cum uxore rem ita componit, ut uxor fingere debeat morbum; poſtea pater medicamentum offert matri, hæc non aliter ac infans manibus pedibusque reluctatur, tandem multis verborum lenociniis delinita ſumit medicamentum, & læta e lecto ſurgit, exultans, ſe hoc medicamento, quod non ſit quoad ſaporem tam ingratum, uti falſo ſibi perſvaſerat, recuperaſſe ſanitatem. Hoc ſtrategemate infans circumventus, ad exemplum matris acceptat medicamentum & ſanitati reſtituitur. Quis tale mendacium improbabit? Dicta ſuperius e ſacris allata, quibus ſimplici-

ter

ter mendacium damnari videtur, ita ſunt intelligenda, ut, quoniam plerumque peccant mendaces, jubeamur a mendaciis peccata involventibus abſtinere. Ita quintum Decalogi præceptum vult, ut non occidamus, quia cædes hominum plerumque ſunt illicitæ; Interim homicidium pro neceſſaria vitæ defenſione aut caſu commiſſum culpa vacat. Cum ergo dicitur, *quod non ſint facienda mala, ut inde eveniant bona Rom. III 8.* non protinus loquela, haud reſpondens animo, accipi debet pro re per ſe mala, ſed circumſtantiæ probe ſunt conſiderandæ. Si enim expreſſe aut præſumtive vult Deus, aut homo, cum quo negotium mihi intercedit, aut ſalus Reip. recte agentis, aut vita hominis innocentis requirit, ut tali loquela utar, non ſtatim hæc pro vitioſa eſt traducenda, dum venit odioſo nomine mendacii. Cavendum quidem eſt, ne unum vel alterum mendacium male probando ſepimentum ex una vel altera parte videamur aperire, & occaſionem dare, totum iſtud deſtruendi; ſi tamen has vel illas exceptiones a regula recte facimus, propter abuſum inde metuendum non ſtatim uſus tolli meretur, quoniam vix dari poteſt res inter homines tam bona, cujus inſignis abuſus non inveniatur. (d) *Deus creavit hominem ad ſocialitatem colendam,* & quia magna illa hominum ſocietas opus habet vinculis, quibus membra ejus continentur, voluit ſimul, ut promiſſa & pacta, invicem inita, religioſe obſerventur, & abſint omnes cavillationes, reſervationes mentales, aliæque fraudes, quæ ne quidem inter hoſtes in totum tolerari debent, illis enim ſi locum concedes, non facile pax inter belligerantes coire poteſt,

teſt, quia tunc pactis & conventionibus tuto non fides, & ſic bellum perpetuo durabit, exitium tandem partibus procuraturum. Homines autem non ad bellum omnium in omnes, ceu Hobbes ſtatuit, ſed ad pacem a Deo ſunt conditi, uti alio loco id prolixius oſtenditur. Multo magis pacis tempore promiſſa & pacta candide iniri & ſervari debent, procul abeſſe juſſis omnibus fraudibus, dolis & circumventionibus. In bellis autem modo juſtitia nitantur, & conventiones inter hoſtes non celebrentur, licitum eſſe videtur, ſimulatione & diſſimulatione uti erga hoſtes, ſicque fine ſuo per ſtrategemata potiri. Idem dicendum videtur de militia togata, quando quis agit de ſe & rebus ſuis ex juſta cauſa defendendis aut recuperandis. (e) *Tota res redire videtur ad duas regulas*, quarum prima eſt: *Quicunque ad lædendum alterum ipſique damnum injuſtum inferendum ſimulat, aut diſſimulat, aut aliud quid agit, aut omittit, moraliter peccat;* altera eſt: *Quicunque neminem lædit, nec damnum injuſtum infert, ſed potius ſuam & proximi utilitatem promovet, ille per ſimulationem, aut diſſimulationem aut aliud, quod agit vel omittit, non peccat.* Ratio utriusque reddi poteſt, quia ſermo & geſtus a Deo ad id homini ſunt dati, ut propriam ac proximi ſalutem per declarationem cogitationum mutuam promoveat; nunc ſi illi ſic adhibentur, ut tam ad proprium quam proximi commodum tendant, nec læſionem ſeu damnum injuſtum inferant, finis Dei eſt obtentus, (f) *quando quis alteri rem ſuam aufert aut per injuriam detinet, dominus* in ſtatu naturali, ubi non eſt copia magiſtratus, directo per vim aut etiam oblique per circumven-

 tio-

tionem & ſtrategema ſuum recuperare poteſt ; In ſtatu vero legali, ubi magiſtratus adeſt, vim non adhibere, ſed ejus auxilium implorare debemus, & cum permittat magiſtratus in proceſſibus, quibus noſtra perſequimur, uti ſtrategematis, nihil obſtat, quo minus ad talia confugiamus. Sic Labeo ait in *L. 1. §. 2. π. de dol. mal. poſſe & ſine ſimulatione id agi, ut quis circumveniatur ; poſſe & ſine dolo malo aliud agi, aliud ſimulari : Sicuti faciunt, qui per ejusmodi ſimulationem deſerviunt, & tuentur vel ſua vel aliena.* Et dolus bonus permiſſus dicitur in *cit. L. §. 3.* Quoniam autem magnus abuſus eſt mendaciorum, & raro in his uſurpandis homines intra juſtitiæ cancellos ſe continent, legibus imperantium plerumque interdictum eſt, adhiberi mendacia, quibus veritas in præjudicium alterius immutatur, a ſubditis non tantum invicem paciſcentibus, ſed etiam litigantibus, *Auth. Hodie jurant. 14. §. 3. C. de Judiciis.* Vid. de his *Eleg. Diſſ. ſub Præſidio B. Samuelis Stryckii habitam de Proceſſibus abbreviandis per pœnam mendacii & in hac §. XVIII. & ſeqq.* it. *Diſput. de Dolo bono ſub præſidio B. Illuſtr. Georg. Adam. Struvii Jenæ anno 1679. ventilatam.*

§. VI.

Excipiat hic aliquis, in foro quidem externo & humano permitti quoad proceſſum ſimulationes diſſimulationes aliisque modis exercita ſtrategemata, aliter autem rem ſe habere in foro conſcientiæ interno & divino, ubi charitas proximi, quem diligere debes ut teipſum, aliud videtur requiri, ut absque fuco & glaucomate candide ingenue & ſincere cum proximo agamus, nec ipſum callide circumveniamus. Chriſtum quo-

 que

que ſectatores ſuos obſtringere, ut injurias, qualis eſt e. g. alapa, patienter ferant, *Matth. V. 39.* ut potius dimittant etiam pallia, ſi tunicæ auferantur, quam ut litem ſuper his ſuſcipiant *v. 40.* ut adverſarios ſuos beneficiis demereri ſtudeant, & bona ipſis retribuant pro malis *v. 44. 45.* imo Salvatorem Chriſtianis injungere, ut parati eſſe debeant, unum pro altero mortem occumbere *Joh. XV. 12. 13. I. Joh. III. 16.* Sed ſicuti in foro conſcientiæ non facile probandæ ſunt actiones injuriarum, paſſim in foris humanis frequentari ſolitæ, ceu alia occaſione fuit oſtenſum & a viris piis demonſtratum, ita præcepta illa Chriſti non ſunt in infinitum extendenda, potius cum grano ſalis accipienda. Si enim e. g. hæc verba Chriſti *Matth. V. 42. Petenti abs te dato, & volentem a te mutuo ſumere, ne rejice,* ſine limitatione intelligere velis, nihil amplius retinebis, & nunquam deerunt improbi homines, qui præceptis illis Chriſti abuſi pios denudabunt omnibus facultatibus. Improbat Salvator pruritum illum litigandi, etiam hodie inter Chriſtianos vigentem, quando potius de rebus levibus ſumtuoſe contendere, quam amice tranſigere volunt. Ponamus, ſimulationes & diſſimulationes eſſe proſcribendas, non tamen protinus omnia damnari debent ſtrategemata, quæ aliis quoque modis poſſunt exerceri. Non omnes denique ſimulationes & diſſimulationes eſſe culpandas, ſupra exemplis Chriſti & piorum virorum fuit monſtratum.

§. VII.

E dictis facile judicatu eſt, quid de moralitate ſtrategematum ſit ſentiendum, nempe licita illa eſſe, ſi

nemini damnum injuſtum inferant, nec in modo peccetur; Illicita autem, ſi res aliter ſe habeat. Potiſſimum vero ſpectanda eſt *cauſa*, in qua ſtrategemata adhibentur; quando illa *juſta* eſt, ob rationes ſupra deductas licitum erit ſtrategematis uti; contra in cauſa *injuſta* videri poſſet, omne patrocinium eſſe illicitum & conſequenter ſtrategematis locum non concedendum. Enimvero dantur caſus, ubi advocatus in cauſa etiam injuſta recte præſtat patrocinium; velut (α) ſi cauſa eſt dubia, de qua poſtea dicemus. (β) ſi cliens factum advocato non recte proponit, dum vel non plene refert, vel falſas circumſtantias adducit. (γ) quando judex non vult admittere defenſionem accuſati aut inquiſiti, aut etiam in civilibus audire cauſam; unde, licet ille, cujus cauſam non vult audire, injuſtam hanc foveat, ſemper tamen audire quoque alteram partem debet, & propterea vulgo dicitur: *quamvis judex juſtum pronunciet, non tamen juſte procedit, ubi recuſat alterius rationes audire.* (δ) Diſtinguendum, utrum cauſa in totum ſit injuſta an pro parte. Priori caſu, patrocinium eſt declinandum, poſteriori ſuſcipiendum pro ea parte, qua cauſa eſt juſta, ita tamen, ne ultra fines illius juſti, quod cauſæ inhæret, extendatur. Sic patronus etiam ſcelerati hominis defenſionem eatenus ſuſcipere poteſt & aliquando ratione officii cogitur, ut momenta, quæ faciunt pro mitiganda pœna, in medium proferat; Ita etiam, ſi cauſa quidem principalis eſt injuſta, ſed cliens habuit probabilem litigandi cauſam, male condemnatur in expenſas, & eatenus patrocinium ipſi non denegandum. Pariter ſæpe contingit, ut judices ſi-

*Cauſa Juſta. Injuſta.*

mul

mul cum carnificibus committant exceſſum in tortura, contra ſententiam a Collegio Juridico latam, patronus petere poteſt, ut propter exceſſum mitior dictetur pœna delinquenti, crimen in tortura confeſſo. Placent nobis hac de re verba *Celeb. Dn. Titii in Jur. Priv. lib. 12. cap. 1. §. 22. Cauſam,* inquit, *famoſi latronis ſuſcipere non debent advocati, ex nonnullorum ſententia, nec cauſam, quam ſciunt, injuſtam. Sed cum nunquam totius alicujus cauſæ injuſtitia adeo ſit evidens, ut in ſenſus velut incurrat; hinc putem, advocatum nihil peccare, ſi injuſtæ etiam cauſæ potrocinetur,* modo jura non pervertat, ſed, prout ſunt, proponat. Conf. *Diſſ. de Advocati juſto circa cauſam injuſtam patrocinio ſub Præſidio Magnif. Dn. Tenzelii habita.* Quod attinet *cauſam dubiam,* hæc variis modis ita ſe habet. Vel enim *quoad jus* dubia eſt vel *quoad factum. Jus dubium* eſt, quando vel caſus jure non eſt deciſus, ac Dd. pro & contra diſputant; vel deciſus quidem eſt, adſunt tamen leges ſpeciem contrarietatis habentes, ob quas JCti Celebres in diverſas abeunt partes, quarum cauſarum dubiarum magnam molem collegit *Hieron. de Cævallos in ſpecul. Comm. opin. contra commun.* Conſuli hic quoque poſſunt autores, qui controverſias juris expoſuerunt, uti ſunt *Fachinæus, Coccejus, & alii. Dubia* cauſa eſt *quoad factum,* quando adverſæ partis probationes nondum ſunt auditæ & cognitæ advocato, us is propterea dubius hæreat, utrum clientis ſui, an adverſæ partis cauſa nitatur juſtitia. Alia quoque eſt cauſa juſta vel injuſta in ſe (revera talis) alia putative talis, & hac poſteriore conſideratione contingere poteſt, ut Advoca- *Dubia.*

tus putet, cauſam injuſtam eſſe juſtam, & contra, ut cauſam juſtam habeat pro injuſta. Quoad cauſam injuſtam, ſive revera talis ſit, ſive tantum credatur eſſe talis, Advocatus contra conſcientiam ſuam illam qua talem tueri non debet, ſi autem defendendam ſuſcepit, & in progreſſu litis demum injuſtitiam cognoſcit, deſiſtere tenetur, hoc vult Juramentum, cujus fit mentio in *auth. hodie jurant* §. 1. ſubjecta *l. 14. C. de judic.* Quoad cauſam dubiam, quamdiu talis eſt, in foro externo idem obtinet, ac quoad cauſam juſtam; in foro autem interno omnes circumſtantiæ probe ſunt attendendæ, ut de ſingulis Deo cordium ſcrutatori ratio reddi queat. In cauſa dubia non ſolum pium, ſed & conſultum eſt, ut ſive ab initio, ſive in progreſſu litis, quamdiu dubium ſupereſt, transactionem præſertim ab adverſario oblatam haud negligamus, cum teſte experientia Deus ſæpe plectat illos amiſſione totius cauſæ, qui transactionem æquis conditionibns oblatam inire recuſarunt. Quando dubius hæret advocatus, num cliens juſtam foveat cauſam, conſulere poteſt Collegium JCtorum, & propoſita facti plena ſpecie petere rationes dubitandi & decidendi, ut a dubio liberatus ſciat, utrum in patrocinio pergere an deſiſtere debeat.

§. VIII.

*Oppoſitum* Oppoſitum ſtrategematum eſt modus procedendi de ſimplici & plano, qui quidem ſat bonus, ſed non ita neceſſarius eſt, ut excludat omnes argutas inventiones & molitiones, in ſe non malas, præſertim ſi proceſſum ſpectes. Sicuti enim adverſarius in militia hac

toga-

togata non ſecus ac belli Duces in ſagata me callidis ſuis conſiliis circumvenire ſtudet, vel talem animum habere præſumitur, ita & viciſſim par pari referre ipſi licebit.

# Cap. II.

## *Specialia ſtrategematum ſiſtens.*

§. 1.

Ex demonſtratis nunc, quid de ſequentibus ſtrategematum exemplis ſentiendum, & an ad licitorum an vero illicitorum claſſem referenda ſint, facile dijudicari poterit. Antequam autem exempla iſta proponantur, non immerito quatuor de ſtrategematibus tam licitis quam illicitis ſcribendi licentia ac prudentia quæſtiones breviſſimis erunt ponderandæ; Sunt autem hæ:

*An de ſtrategematibus illicitis ſcribere & exempla proponere licitum ſit?*

1. *An rectum ſit de ſtrategematibus illicitis ſcribere eorundemque exempla enumerare?*

Videtur quod non, quoniam (α) ſicut Juſtinus de Scythis ſcribit: *plus præſtare apud ipſos ignorantiam vitiorum, quam apud Græcos ſcientiam virtutum*, & de Sodomia atque beſtialitate aliqui judicant: *melius eſſe, ut de ſpeciebus ejus taceamus, ne, illas recenſendo, curioſitatem quorundam excitemus*; ita portam ad malitias addiſcendas ac exercendas hominibus, ad mala magis quam bona inclinantibus, nequaquam eſſe aperiendam, maxime cum (β) hoc officio boni viri, qualis advocatus eſſe debet, minime conveniat. Aſt vero, quoad (α) ſtrategemata illicita non proponun-

tur,

tur, ut alii iſta exerceant, ſed ut caveant, & ſic tantum ad cognitionem & fugam, non autem ad imitationem exhibentur; quoad Sodomiam & beſtialitatem multi putant, ejusmodi delicta carnis non eſſe peccata, quæ tamen propter indicatas graviſſimas pœnas pro peccatis agnoſcent, unde talia cane pejus & angue fugient, aut ſi patraverint, & juſtas pœnas magiſtratui dederint, ſuæ malitiæ has imputabunt. Accedit, quod Jurisprudentia noſtra non tantum juſti ſed etiam injuſti ſit ſcientia juxta §. *1. Inſt. de J. & J.* Quoad (β) proferens in lucem media hujusmodi illicita, non ad ſectandum, ſed ad fugiendum, & quidem cum adjectione pœnæ ſtatutæ profert, quo ipſo non ſolum contra officium boni viri non impinget, ſed etiam eidem ſatisfaciet. Et ſic affirmativa hujus quæſtionis extra dubium poſita eſſe nobis videtur.

*An idem facere conſultum ſit?*

*2. An idem facere conſultum ſit?*

Negativam ſequentia tueri videntur, quod (α) jactura famæ ex manifeſtatione ſcientiæ de talibus artibus illicitis ſit metuenda, & (β) damnum non leve, ex imitatione ab adverſario facienda, tam advocato, technas has propalanti, quam clientibus veniat exſpectandum. Verum enim vero, cum quoad (α) quilibet præſumatur bonus & manifeſtatio iſta licitæ calliditatis, integritatis magis quam exercitii illiciti notam apud ſaniores inferat, & quoad (β) ab illicitis hujusmodi ſtrategematis caveri, iisdemque per contraria ſtrategemata occurri à manifeſtante poſſit, ſententiam affirmativam veriorem exiſtimamus.

3. An

*An de ſtrategematis licitis ſcribere & exempla enumerare liceat?*

3. *An ſcribere de ſtrategematibus licitis horumque exempla proponere liceat?*

Pro negativa militat α) ſtrategematum bonitatem & malitiam in fine & modo applicandi maxime conſiſtere, conſequenter ex licitis etiam, uti ſupra dictum, illicita fieri poſſe; nunc autem perniciosas imitationes quovis modo avertendas, & β) calliditatem nemini cum alterius utilitate nocere debere juxta *L. 11. §. 1. in fin. π. ad exhib.* nec γ) veritatem in Sacris optime commendatam celandam, nec δ) malum, ut inde eveniat bonum, faciendum eſſe. Affirmativa autem & quidem rectiſſime ita defenditur: ad (α) per abuſum uſum tolli non debere, & illicitam imitationem imitantis culpæ relinquendam eſſe, (β) legem citatam loqui de calliditate illicita ad ſtrategemata licita minime quadrante (γ) in allegatis Sacris præſupponi jus ad eruendam veritatem competens, non autem indiſtincte omnem veritatis occultationem reputari pro peccato, *Prov. XXIX. 11. Stultus dicitur ille, qui, quicquid novit, profert, ſapiens autem, qui differt & reſervat in poſterum,* & *Syrac. XI. verſ. ult. ne cor tuum omni homini manifeſtes ac Cap. II. 28. Stulti cor ſuum in lingua, ſapientes autem linguam in corde habent.* Egregie de hac materia ſcribit Puffend. *in J. N. & G. l. 4. c. 1* §. 7. *Manifeſtum*, inquit, *eſt, me non teneri omnia quibusvis indicare, quæ ipſe in animo volvo; ſed illa duntaxat, ad quæ intelligenda iſti jus habent plenum, aut minus plenum, quod obligationi, quæ in me eſt, ex adverſo reſpondeat: adeoque recte ea tacendo diſſimulari poſſe, quæ, ut ex me ſciat alter, jus non habet, neque ad id*

 ali-

*aliqua obligatione teneor.* Hinc Auguſtinus ait: *Licet veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione lib. contr. mend. c. 10.* & Hornejus *Phil. Mor. l. 3. c. 10. n. 5.* dicit: *Etſi mendacium dicere nullatenus liceat, Veritas tamen celari interdum & boneſte reticeri poteſt. Etſi enim virtus vetat, falſum dicere, &, quicquid aſſeritur, præcipit, ut verum ſit, non tamen id efflagitat, ut ſemper effutiatur, quod tale quidem eſt, ſed efferri non convenit.* (δ) ſtrategema licitum, cum bonum quid ſit, nequaquam dici poſſe malum.

*An hoc facere expediat?*

4. *An idem facere conſultum ſit?*

Negativam evinci putant, quod talis ſtrategematum propalatio tam advocati quam clientis utilitati, quæ tamen ab utroque omnibus modis promovenda erit, ratione partis adverſæ ſtrategematizantis multum noceat l. ſaltem nocere poſſit. Affirmativa tamen verior, cum negandum ſit, damnoſam advocato ſtrategematum manifeſtationem fieri poſſe; quoniam, ſi bonam cauſam defendit, adverſarius ex ſua parte non poterit adhibere ſtrategemata licita, & quamvis talia illicite adhibeat, facile tamen per contraria ſtrategemata repelli poterit. Sin autem malæ cauſæ patrocinetur, utilius injuſto tali patrono cauſæ injuſtæ erit, viam, diutius cum malitia graſſandi, per ſtrategemata adverſarii ſibi in tempore præcludi, quam diutius peccata cum peccatis cumulare; præterea charitas expoſcit, ut proximo, quoad media jus competens vel defendendi vel recuperandi, quantum fieri poſſit, ſincere & conſcientioſe conſulatur.

§. II.

§. II.

Demonſtrata ſic de ſtrategematibus utriusque generis ſcribendi licentia, notabiliora quædam tam *circa proceſſum antecedentia, quam circa proceſſum ipſum*, ut primarium rerum juridicarum negotium, ſtrategematum exempla conſiderabimus. Proceſſus eſt vel *Civilis* vel *Criminalis*, hic vel *Accuſatorius*, vel *Inquiſitorius*. SEQUUNTUR STRATEGEMATA NONNULLA LICITA, & quidem

§. III.

CIRCA ANTECEDENTIA PROCESSUM CIVILEM.

*Strategemata licita* circa PROCESSUS CIVILIS *antecedentia.*

I. Aliquando maritus, ſuſpicioni nimium indulgens, conſpecto filio ſuo & ſuſpirio emiſſo exclamauit: Ah! quid darem, ſi certo ſcirem, hunc eſſe filiolum meum? Uxor, fœmina honeſtiſſima, maximum ex illo ſermone concepit dolorem, & parum abfuit, quin maritum convitiis impeteret; ſed ſumma prudentia diſſimulavit iram, conqueſta ſuper hac injuria apud advocatum. Is conſilium dedit, ut ſequenti ſtrategemate ſtolidam mariti ſuſpicionem caſtigaret: ſcilicet interrogaret maritum, quid dare vellet, ſi omnis eximeretur dubitatio, hunc eſſe filiolum ejus? Maritus ad quæſtionem uxoris reſpondit, mille darem aureos. Convocatis teſtibus, uxoris cognatis, repetiit hoc promiſſum. Tunc uxor denuo e marito quæſivit: Num certo credis, hunc eſſe meum filiolum? Ille nihil cunctatus, quidni hoc crederem? inquit, Atqui, repoſuit uxor, hunc meum filiolum tibi offero, dono, trado, & ſic nullum amplius ſupereſt dubium, eum nunc eſſe tuum. Cum autem maritus non ſtatim inveniret, quid contra hoc exciperet, cachinnis a præſentibus fuit

exceptus, & uxor ipſum monuit, ut non amplius eam iniqua ſuſpicione gravaret.

2. Uxor inter liberos ſobolem adulterinam habebat; in agone conſtituta confeſſionario aperuit rem, qui adulteræ injunxit, ut liberis illam manifeſtaret; advocatus ſuppeditavit hoc ſtrategema, ut non ſtatim mater nominaret ſobolem adulterinam, ſed convocatos liberos interrogaret, num vellent deſignari prolem adulterinam? Hoc facto, ſinguli liberi metuentes, ne ſe forte deſignatio tangeret, rogarunt matrem, ut taceret, profeſſi, ſe omnes & ſingulos contentos fore, ut adulterinus partus perinde ac legitimi ſuccedat. De hoc vide *Brederod. in Cautel. contract.* p. 265. Num ex omni parte id ſtrategema ſit probandum, in diſcurſu mentem noſtram declarabimus.

3. Ex interceſſione non obligari mulierem, niſi SCto Vellejano & Auth. ſi qua mulier *C. de SCt.* Vellej. prævia certioratione renunciaverit plus quam manifeſtum eſt. Verum cum renunciationes mulierum variis ex cauſis ſoleant impugnari, iisque opponi, quod vel non legitime facta ſit renunciatio, vel non legitima præceſſerit certioratio, unde creditores, mulierum interceſſiones admittentes, ſæpius defraudantur, hoc caſu ſibi optime conſulet creditor, ut mulieri tanquam principali debitrici pecuniam credat, & maritum in fidejuſſionem trahat, ubi tam fœmina juxta *L. 15. C. de uſur.* quam maritus & ſic utraque perſona valide obligabitur. Si autem mulier revera pro aliquo interceſſit, deſuper confecto inſtrumento, quo continetur, certioratam fuiſſe illam de SCto Vellejano, & huic renunti-

aſſe,

aſſe, petere poteſt mulier a magiſtratu ſuperiore, ut commiſſarius conſtituatur, examinaturus Judicem aut Notarium illum, qui certiorationem & renuntiationem factam teſtatus eſt, quid ſibi velit SCtum Vellejanum? ſi neſcit Judex aut Notarius, exinde colligi poterit, pro conſuetudine ſaltem formulam illam fuiſſe adhibitam, non autem revera certiorationem factam.

4 Citatus Brederodius in cautelis contractuum p. 208. refert: Eveniſſe aliquando, quod quidam ruſtici vulneraverint alios, compoſitionem autem amicabilem & reconciliationem inter ipſos hoc modo fuiſſe ſecutam, ut quidam eorum promiſerit alteri, ſub pœna certæ quantitatis pecuniæ, ſe facturum ut ſua neptis, quæ habebat certa bona paterna, cum eſſet nubilis acciperet in maritum quendam filium illius, qui ſtipulabatur pœnam; Cum autem neptis iſta in ſtipulatam hanc deſponſationem conſentire nollet & ſocer putativus pœnam conventionalem exigere vellet, ſuppeditavit Brederodius promittenti hoc ſtrategema, ut ad contrahendum matrimonium promiſſum omnem curam ac diligentiam adhiberet, quoniam hoc ipſo, licet matrimonium non contrahatur, propter impoſſibilitatem præſtandi liberatus foret ab omni pœna juxta *L. ſi vehenda in fin. π. ad L.* Rhod. *de jact. & L. 2. π. ſi quis caut. in jud. ſiſt. non obtemp.* Cujus conſilium ſecutus promiſſor pœnam ſtipulatam effugit.

5. Cum ante initium litis magni momenti utiliſſima ſit Reſponſi Juridici petitio, hoc Reſponſum a vicinis collegiis JCtorum, in quæ probabiliter acta

tranſmittenda ſunt, Advocatus ſibi comparabit, poſteaque proteſtabitur contra illud Collegium, quod in reſpondendo fuit contrarium.

6. Sæpius accidit, ut illi, qui agere cupit, non deficiat jus, ſed juris probatio, quo caſu ante omnia confeſſio partis adverſæ erit neceſſaria, ad quam eruendam & probandam optima erunt ſtrategemata hæc: (α) ut ille, cui aliquid debetur, faciat venire aliquos teſtes in quadam camera juxta ſuam, in qua poſſint audire ea, quæ in alia dicentur, vel faciat eos ſtare poſt lectum in eadem camera, cortina exiſtente in medio, ut videri non poſſint, deinde ducat debitorem in dictam ſuam cameram, & ſubtili modo, ſeu ingenio, loquaquatur de variis rebus, tandemque de gratia ipſi facta in mutuo dando, debitor credens ab alio non audiri, facile inducetur ad confitendum & promittendum debitum & poſtea teſtes poterunt examinari, qualiter ipſi audiverint talem confitentem debitum & promittentem ſolvere, licet non viderint eundem, (poterunt & poſt auditam confeſſionem advocari & remota cortina confitenti, ut præſentes, ſiſti) tamen habeant ejus loquelam notam & viderint ipſum ingredi domum, & tale teſtimonium valebit, & ad hoc communiter allegatur Gloſſ. *L. 2. §. idem Labeo in verſ. audierint π. de aqua pluv. arcenda.* ut refert Bartholom. Cæpolla *in Tract. de Cautel. Caut. 230.* (β) ut litteras amicabiles debitori mittat, ac in his optimam ex parte debitoris tranſactionem per ſimulationem offerat, ſimulque ſub allegatione verboſiori & quantitatis & qualitatis debiti ac enumeratione beneficii, per tale credi-

ditum collati, ab illo petat, ut per litterulas reſponſorias declaret, quantum pro debito ſolvere ipſi in animo ſit, ubi debitor, cupidine transactionis optimæ ductus facillime ad petita reſpondebit & in ſcriptis debitum confitebitur, quæ confeſſio deinde aut manu debitoris aut ſcribentis tertii, ut teſtis, probari poterit; atque ut eo clarior confeſſio talis appareat, juvabit, litteras interrogatorias in præſentia Notarii ac teſtium conſcribi ac ſignari, quas illi magiſtro Poſtarum ad transmittendum tradant, & litteras reſponſorias ab eodem recipiant, has autem interroganti reddant, ut illis præſentibus aperiantur & prælegantur, ac deſuper ſolenne Inſtrumentum conficiatur. (γ) ut creditor tertium quendam ſubornet, qui ſub ſpecie transactionis confeſſionem eruere & de confeſſione facta teſtimonium dicere valebit.

7. Non raro etiam fit, ut per tractationem amicabilis compoſitionis fundamenta cauſæ ab adverſario ſive judicialiter ſive extrajudicialiter explorentur.

8. Nec advocatus, malitioſum & mendacem habens clientem, male ſibi conſulet, ſi hunc, factum cum circumſtantiis iteratis vicibus, diverſis tamen temporibus, proponere jubeat, propoſitaque, abſente tamen cliente, calamo excipiat. Quo facto ex contradictionibus facillime mendacia clientis & injuſtitiam cauſæ colliget, & ſic a patrocinio tam periculoſo quam damnoſo talis cauſæ injuſtæ in tempore deſiſtet.

§. IV.

CIRCA PROCESSVM CIVILEM IPSVM

1. Timens, (α) ſe condemnandum fore ex inſtru- Libellus.

men-

mento guarentigiato, actionem, ex eodem fundamento agendi reſultantem, non ſine lucro temporis movebit ad hoc, ut adverſarius reconventionis tempus expectare teneatur. (β) Denominationem actionis ab actore petere, quo poſt denominationem ſubſecutam fundamentum agendi reddatur dubium, & ſaltim expenſæ litis compenſentur.

*Probatio.* 2. Notabilem (α) probationis artificialis caſum ſupra laudatus Brederodius in *Cautel. Contract. pag. 1.* refert. Fuit, inquit, quidam nobilis dives, pauperis fundum, quem hic alienare recuſabat, habere deſiderans, qui excogitatata fraude ad hoc, ut haberet obæratum ſibi pauperem, rogavit hunc, ut reponeret in domo ſua quædam dolia olei, pauper, deſiderii illius morem gerens, aſſumſit plura dolia, quorum partem ad ſummum & partem ad medium usque licet dives adimpleviſſet, cooperta & firmata, quaſi omnia eſſent plena. Poſt aliquod tempus dives acceſſit ad videndum dolia, his autem diſcoopertis clamavit contra pauperem, dicens, quod invenerit dolia pro majori parte ſemivacua, & affirmavit, ſibi ſubtractum oleum; Conſtitutus itaque in judicio petiit emendam a paupere, cui, ſubtractionem olei conſtantiſſime neganti, advocatus per ſtrategema ſuccurrebat, petendo a judice, ut dolia omnia evacuarentur, quoniam quantitas fecis indicatura foret quantitatem olei, & ſic in ſemiplenis doliis non tantum fecis reperiretur, quantum in plenis. Evacuatis ſic doliis evidenter apparuit, in ſemiplenis doliis tantum pro medietate fecem fuiſſe, ac in doliis plenis, itaque pauper fuit abſolutus. (β) Referri huc meretur ex ſacris Hiſtoria Suſannæ & ſtrategema a juvene Daniele in falſa-

riis

ratim examinandis duobus innocentisſimæ hujus fœminæ accuſatoribus adhibitum, cujus ope illam ad ſubeundum ſupplicium mortis raptam liberavit, ut pluribus habet cit. Hiſtor. Suſan. & Dan. (γ) In termino probatorio ſi probationem ſuſcipiens originalia documentorum non producat, deſerta quoad hæc probatio ſit; quam deſertionem advocatus quidam aliquando ope hujus ſtrategematis evitabat, dum circa horam tertiam poſt meridiem primum in Termino comparebat ad faciendas poſitiones ſe accingens; adverſarius querelas emittebat de ſero acceſſu, propter quem usque ad veſperam ſibi cum ſua poſitione cunctandum fuiſſet. Huic advocatus iſte offerebat, ſe contentum fore, ſi craſtina die poſitionem ſuam abſolveret. In quod cum hic lætus conſentiret, domumque ſe reciperet, advocato iſti ſpatium originalia a cliente, domicilium aliquot milliaria a loco litispendentiæ diſtans habente, petendi eaque ad acta reponendi concedebat, quæ altera die Patronus adverſæ partis ad Acta repoſita reperiebat. Vidi etiam alium advocatum, qui initium poſitionis faciens ficta originalia documentorum in medium proferebat, illa pro veris ſe producturum ſimulans, interim nuncius quidam juſſu ipſius clandeſtino accedebat, dicens, legitimum impedimentum domi contigiſſe, quocirca advocatus parti adverſæ compromiſſum obtulit, ut ſecunda vel tertia die poſitionem cœptam abſolvi pateretur, quod & hic propter mutuas gratificationes non inſolitas conceſſit & ſic tempus originalia adferendi dedit. Solent & advocati probationem informationalem anticipando & in primordio litis,

 ubi

ubi facti ſpecies teſtibus in recenti adhuc memoria hæret, ſuſcipere, & in articulo probatorio teſtes ſuper hac depoſitione per Judicem interrogare, ac Rotulum informationalem loco documenti cum privatione interrogatoriorum adverſæ parti competentium producere. Plerumque advocati ſtrategema intentantes ultimum ferme momentum termini expectant, ut adverſario his ſat bene occurrendi & errata emendandi tempus præripiatur.

*Remedia ſuſpenſiva & devolutiva.*

3 In paſſu leuterationis atque appellationis leuteratum ſive appellatum, ad Acta priora ſubmittentem, à prænumeratione & ſolutione expenſarum judicialium pro rata immunem eſſe, niſi vel in ſcriptis vel viva voce in Termino beym rechtl. Einbringen oder Verfahren aliquo modo ſive formalia ſive materialia remedii interpoſiti impugnet, recepta in praxi Doctorum eſt ſententia. (a) Ut igitur leuteratus ſive appellatus gravamina ab adverſario propoſita refutare & nihilo ſecius à ſolutione expenſarum immunis eſſe poſſit, utiliſſimo hoc ſtrategemate poterit uti, ut ante interpoſitionem dicti remedii ſive ex Actis prioribus præſumtive colligat, ſive per tertium ad leuterantem vel appellantem miſſum exploret, quorſum gravamina ejus tendant, poſtea in ſcripto quodam refutatorio eventualiter, ſi forte adverſarius tale remedium interponere auſus fuerit, rejectionem remedii interpoſiti à judice petat, denegata autem rejectione, ſi gravamina adverſarii nullius ſint momenti, iterum in ſcriptis, ſimpliciter tamen

tamen & abſque ulla formalium aut materialium dicti remedii mentione aut refutatione, addita de expenſis proteſtatione, ad acta priora ſubmittat, quo facto & judicem de irrelevantia gravaminum informabit, & ab expenſarum ſolutione ceu is, qui neque formalia neque merita remedii interpoſiti impugnaverit, liber erit. (β) Cum inſuper haud raro judex a quo, ſi vel ipſe ſententiam latam conceperit, vel in partes adverſarii ſit favorabilior, appellationis interpoſitionem pro injuria quadam reputet, & ideo ut plurimum apoſtolos refutatorios ad judicem ad quem mittat, quibus ſæpiſſime hunc ad rejectionem remedii provocatorii commovere ſtudet, imo aliquando commovet; iniquitati judicis in concipiendis hujusmodi apoſtolis hoc ſtrategemate optime occurritur, ſi ſub prætenſa feſtinatione quædam gravamina levioris momenti, apud judicem a quo in medium adferantur, reliqua vero majoris momenti apud judicem ad quem exponantur, & ab hoc petatur, ut in caſum emiſſorum apoſtolorum refutatoriorum hos appellanti ante rejectionem communicet, quo poſſit iſte frui beneficio appellantibus conceſſo: *Non deducta deducam, non probata probabo*, hoc facto appellans non tantum ad refutatorios tales ſufficienter reſpondere ſed & non refutata deducere & ſic rejectionem appellationis impedire valebit.

1. Memini *a*) advocatum quendam debitoris, à creditore executiente ſat duriter exagitati, in articulo ſubhaſtationis, in quo primus licitator (cujus jus ſecundum *Sententiæ Executio.*

praxin ultra rationem juris cum maximo debitoris detrimento ad omnes ſubſequentes licitatores iniqve extendi ſolet) permultos alios licitaturos à pinguiori licito pro re ſubhaſtata viliſſimo pretio lucranda abſtraxerat, ſequenti ad conſequendas ſolvendi dilationes ſtrategemate uſum fuiſſe, dum ipſe advocatus (poſſet & alius ſubornari) aliquantulum pinguius licitum iterata vice offerebat, tamdiu ſubhaſtationem per multas quaterdenas repeti faciens, donec debitor pecunias ad ſatisfaciendum creditori compararet. (β) Interventio tertii, aut uxoris ad recuperanda illata, ceſſio bonorum, moratorii petitio, beneficii competentiæ aut exceptionum peremtoriarum, ſi in continenti probatione ſuffulciri poſſint, oppoſitio pro materia ſubſtrata ſæpius debitori, nimis rigoroſe exagitato, adverſus creditorem duriorem ſat multum refugii concedet.

## § V.

CIRCA ANTECEDENTIA PROCESSUM CRIMINALEM.

### CIRCA PROCESSVS CRIMINALIS ANTECEDENTIA.

I. Cum carcer mala dicatur eſſe manſio, peſſima ex illo quod detur reſponſio, nemo negabit. Idcirco optime quondam proſpexi criminis adulterii reo, qui crimen à ſe commiſſum quidem fatebatur, moleſtias autem carceris timens in fuga ſalutem quæſiverat, dum ſalvum conductum à principe territoriali petii hancque clauſulam ei inſeri curavi, ut licet ſententia futura reo torturam aut pœnam capitalem aut aliam corporis afflictivam impoſuerit, obſchon etwas Peinliches wieder d. n Inquiſitum in künfftigen

 Ur-

Urthel würde erkannt werden, (quo caſu alias ſalvi conductus ſecuritas regulariter ceſſat, *Gleſer. in Tr. de Salv. cond. memb. 1. n. 115.*) nihilo tamen ſecius reus adhuc ſalvi conductus beneficio tamdiu frueretur, donec adhuc ſemel defenſio fuerit admiſſa, communicatis prius rationibus dubitandi & decidendi, quæ in ſententia criminali regulariter exprimi ſolent. Dictitabat ſententia ſubſequens adultero confitenti pœnam fuſtigationis, ſimulque, ut in defenſione eventualiter à me petitum erat, conceſſionem ſecundæ defenſionis, ſi nempe inquiſitus illam deſideraret, & ſalvi conductus continuationem ad alteram usque ſententiam. Poſt publicatam autem primam ſententiam principem ſupra dictum per litteras ſupplicatorias, eventualem novæ defenſionis reſervationem continentes, adii, ut dictitatam fuſtigationis pœnam in pecuniariam commutaret. Morem geſſit princeps deſideriis ſupplicantis & ſic ipſum a pœna corporis afflictiva gratioſe liberavit.

2. Adhibuit advocatus in caſu participationis furti ſequens ſtrategema: Abſtulerat Petrus vicino Johanni mille thaleros, & cum his aufugerat; Advocatus ille juſtis de cauſis præſumebat, Petrum matri ſuæ & fratri pauperibus aliquid de furto dediſſe, hinc matrem & fratrem ad ædes ſuas vocabat, re cum ſocru compoſita, ut hæc matrem, fratrem ipſe advocatus in ſeparatis conclavibus ad confeſſionem permoveret. Cum vero neutra perſona ſponte participationem fateretur, advocatus relicto furis fratre penes amicum, ibat in conclave ſocrus ſuæ, præfatus, fratrem jam ſponte fas-

ſum eſſe, quod fur centum thaleros reliquerit ipſi & matri, mater hoc audito attonita & tremula dicebat: ita res ſe habet, filius fur nobis 100. thaleros aſſervandos dedit, plures autem non accepimus. Advocatus, ſtatim ad fratrem reverſus, hunc vehementer increpabat ob priorem negationem tot execrationibus ſtipatam, comminatus delationem apud magiſtratum faciendam, ni & ipſe jam fateretur participationem. Aſſerebat autem advocatus, matrem jam ultro confeſſam eſſe, quod filius fur ducentos taleros reliquerit. Frater ob advocati aſſertionem, tanta fiducia prolatam, credebat, matrem ſimplicem enuntiaſſe rem geſtam, unde etiam conſentiebat in ducentos, quos dein mater etiam conſenſu ſeparatim approbabat. Poſtea nec mater nec frater furis, procul dubio ſtrategema odorantes, plus ſe accepiſſe fateri voluerunt. Hac ratione dominus iſtos ducentos & ſic aliquid de nummis ſubtractis recuperavit.

§. VI.

CIRCA PROCESSVM CRIMINALEM IPSVM.

CIRCA PROCESSVM CRIMINALEM IPSVM.

*Defenſio pro avertenda.*

I. Defenſionem illam, quam pro avertenda dicunt, utiliſſimam quandoque criminis reo eſſe conſtat; Cum autem quoad hanc reo ac ipſius advocato perluſtratio actorum inquiſitionalium juxta obſervantiam fori denegari ſoleat, pro ſtrategema tehujusmodi defenſori erit, ut pro comparanda ſibi de depoſitionibus teſtium inquiſitionalium cognitione hos teſtes, de quorum perſonis forte certus fieri poterit, aut per tertium ad ipſos miſſum exploret, quid depoſuerint, aut illos in alio judicio ſuper articulis & interroga-

rogationibus tam generalibus quam ſpecialibus & ad depoſitiones factas directis per juramentum prolixe examinari, atteſtataque mediante Rotulo ſibi communicari faciat, quo exinde uberiorem de depoſitionibus ad acta inquiſitionalia prolatis notitiam percipere poſſit.

2. Criminis reo innocenti ut plurimum nil magis obſtat, quam jurata teſtium inquiſitionalium & ſibi inimicorum depoſitio; Conſultum igitur erit tali reo, ut teſtes ipſi contrarios ſuper multis articulis diverſis & contrariis rationesque atteſtatorum continentibus, in diverſis judiciis poſt intervallum temporis iteratis vicibus jurato examinari curet, quo eo facilius vacillationes & contradictiones eorundem ſibi ad formandas contra teſtes exceptiones valde proficuas demonſtrare liceat. *Teſtes inquiſitionales.*

3. Haud raro evenit, ut rei criminis initium torturæ den Angriff des Scharffrichters ſubeuntes ſtatim crimen confiteantur, in die ratificationis faciendæ autem confeſſionem ut cruciatibus torturæ elicitam revocent, & ſic trina vice judicium eluſorium reddant, pro pœna capitali pœnam arbitrariam ſe reportaturos exiſtimantes. Hoc caſu *Celeb. Dn. Ludovici* in der Einleitung zum Peinl. *Proceſs. C. IX. § 43. p. 93.* judici ſuppeditat ſtrategema, ut ſive talis reus in tortura delictum confiteatur ſive non, judex nihilo ſecius tormenta realiter infligi illi faciat, ne in die ratificationis metu torturæ repetendæ confeſſa revocare auſit. *Tortura.*

4. Adulteræ cuidam de commiſſo crimine & con- *Sententia executio.*

convictæ & confeſſæ, cum executio ſententiæ pœnam capitalem dictitantis immineret, defenſor advocatus pro ſtrategemate ſuggerebat, ut maritum in carcerem ad ſe vocaret & ab illo omni modo concubitum ad formandam remiſſionis tacitæ exceptionem contra executionem ſententiæ a judice intentatam elicere ſtuderet, quod & ſequentem in modum factum: Petiit miſerrima & morti vicina iſta fœmina à marito per amicos, ut ad dicendum Vale, deprecationemque audiendam, ut & rem magni momenti ac commodi ipſi manifeſtandam in carceres ad ſe veniret, maritus perſuaſionibus amicorum commotus ipſis morem geſſit, & ad uxorem incarceratam acceſſit, ab hac pulchre ornata multis lacrymis & blanditiis exceptus; uxor primo deprecata læſionem per adulterium ipſi factam, & inter multas lacrymas valedixit, poſt lautum cibum atque potum ipſi pro convivio valedictorio præbuit ipſumque parum inebriavit, cuſtodibus carceris ſub prætextu arcanorum marito manifeſtandorum extra cellam carceris ire juſſis. His abſentibus, maritum inebriatum multis blanditiis delinivit & ad concubitum ſecum faciendum incitavit. Cum itaque maritus in actu concumbendi cum ipſa eſſet conſtitutus, fœmina advocato extra cellam latenti ſignum dedit, qui convocatis cuſtodibus, ut teſtibus, januam cellæ aperuit & his concubitum ad teſtificandum oſtendit. Paulo poſt advocatus judicem adiit, illique rem exponendo novam defenſionem petiit, qua impetrata, pœnam capitalem per remiſſionem concubitus tacitam ſecundum jura notoria ceſſare ſolide demonſtravit & ſenten-

tiam

tiam correctoriam, fœminæ adulteræ perpetuam relegationem ewige Landes-Verweiſung, marito autem perpetuum exilium ſive emigrationem, ewige Landes-Räumung, & continuationem cohabitationis matrimonialis dictitantem obtinuit, ſicque præſentiſſimæ mortis pœnæ ſat callide ſe ſubtraxit.

SEQVVNTVR STRATEGEMATA QVAEDAM ILLICITA & quidem

§ VII.

CIRCA ANTECEDENTIA PROCESSVM CIVILEM.

1. Victoriam litis, ut in præloquio hujus Diſſertationis diximus, ab erudito, prudenti & callido cauſarum patrono ſæpiſſime unice dependere manifeſtum eſt, hinc in memoriam mihi revoco ſtrategema illud cujusdam advocati amico ſuo, litem in civitate quadam ſat procul diſtanti incepturo, ſuppeditatum, ut ſcilicet hic omnes celeberrimos & verſatiſſimos iſtius loci advocatos conveniret & à ſingulis non tantum dato honorario conſilia peteret, ſed & ſingulis fundamenta cauſæ exponendo litem ſuſcipiendam quaſi demandaret, quoniam hoc modo de eruditione & experientia cujusvis edoctus non tantum eruditiorem advocatum iſtius loci in patrocinium cauſæ pertrahere ſed etiam reliquos eruditos à patrocinio partis adverſæ ita abſtrahere poſſet, ut huic illi absque crimine prævaricationis in judicio aſſiſtere non valerent, ſicque pars adverſa minus erudito advocato tam cum ſui ipſius detrimento quam cum antagoniſtæ utilitate cauſam ex parte ſua defendendam committere neceſſum eſſet habitura, & defenſione ſufficienti deſtituta foret.

*Strategemata Illicita* CIRCA PROCESSVS CIVILIS ANTECEDENTIA.

2. Pro obtinenda poſſeſſione Brederodius ſupra laudatus in *Cautel. Crimin. Tit. X. ad L. Jul. de vi publ. &c. pag. 825. & 888.* ſuggerit ſtrategema hoc valde utile; Si vides tu advocate, inquit, utramque partem de poſſeſſione litigantem æqualiter probare, dic tuo clienti, ſi potens eſt, ut poſſeſſionem litigioſam armata manu ingrediatur, denunciationem adverſario, ut veniat poſſeſſionisque defenſionem videat, præmittendo, qui ſi ſuſpicatus, quod poſſit per vim majorem repelli, non veniat, ſtatim perdet poſſeſſionem, quam dicit ſe habere ut *L. ſi id quod § ſi ff. de acqui. poſſ.* unde clientulus erit potior. Sin autem veniat adverſarius & per vim majorem repellatur, poteris ipſius querelam judici factam per hoc removere, quod dum quoad poſſeſſionem competentem æqualiter cum adverſario probaveris, eodem poſſidendi jure cum illo gaudeas, & ſic non alienam ſed tuam poſſeſſionem & ingreſſus ſis & defenderis, tuique ut poſſeſſoris præſentanei conditio in caſu dubio melior exiſtat. Quoniam autem ipſe Brederodius violentam talem poſſeſſionis ingreſſionem pro facto ſæpius ſcandaloſo & periculoſo reputat, idcirco nos ſtrategema illud, ut autoritati magiſtratus è diametro contrarium & multum aliquando mali ſecum adportans, merito improbamus, probationem poſſeſſionis aut antiquioris aut titulatæ aut utriusque, pro qua in tali caſu pronunçiari ſolet, ut remedium, & licitum & utilius illo, etiamatque etiam commendantes.

3. Datur & in cit. Brederodii Tr. p. 147. improbum ſtrategema pro eo, qui per luſum res quasdam per-

perdidit, ut perdita illa brevi manu recuperare poſſit: Scilicet, ut in luſu victus alia vice cum victore luſum inſtituat, & inter ludendum huic aut violenter aut furtim rem deperditam vel aliud quid de bonis ipſius vincentis ſurripiat, & ſic propria autoritate amiſſa vel recuperet vel ratione illorum ſibi de bonis victori propriis ſatisfaciat, utpote quod illi, cui hoc modo res ſurrepta eſt, *per L. 1. in pr. π. de aleator.* omnis plane contra ſurripientem denegetur actio.

## § VIII.

### CIRCA PROCESSVM CIVILEM IPSVM.

CIRCA PROCESSVM CIVILEM IPSVM. *Litis Conteſtatio & Poſitiones.*

1. De jure manifeſtum eſt, quod actore nihil probante reus ſit abſolvendus; (α) utuntur itaque quidam advocati, ad ſupprimendam veritatem contra conſcientiam proni, hoc ſtrategemate, quando nimirum vident factum controverſum neque per teſtes neque per documenta ab actore probari poſſe, ut, cum actor juramenti delationem præter intentionem forſitan omiſerit, ſtatim ad inſtitutam actionem litem negative & quidem pure conteſtentur, licet dilatorias quasdam exceptiones ſibi utiles in medium proferre poſſint, ad hoc, ut actor beneficio juramenti delationis, cum qua poſt litem pure conteſtatam de Jure Saxonico non amplius eſt audiendus, contra veritatem a cliente cognitam, cum amiſſione probationis & totius cauſæ deſtituatur.

β) Reus peremptorie excipiens, has ſuas peremptorias Litis conteſtationi ſub pœna præcluſionis ſtatim in hunc finem ſubjungere tenetur, ut actor in probatorio ſuper iisdem articulos formare valeat, cum contra reprobationem a reo ſuſceptam ſecunda

reprobatio actori non concedatur. Quod probe animadvertentes quidam improbi cauſidici, exceptiones peremptorias ſaltim generaliter & ita obſcure Litis-conteſtationi annectunt, ut actori nervum earundem & quo tendant cognoſcere neutiquam liceat, reus autem in reprobatorio ſat luculenter illas proponens a pœna præcluſionis per hoc, quod in conteſtanda lite allegaſſe eas ſufficiat, ſe immunem eſſe prætendit.

*Probatio.* 2. In praxi contigiſſe memini, ut Advocatus Notarium, teſtes quosdam jurato examinaturum, in partes ſuas pertraheret, qui Teſtes conjunctim ita examinabat, ut initium a teſtibus, per munera corruptis & conſcientiam non reſpicientibus, faceret, & poſt hos interrogaret cæteros. Sicuti autem primi ad articulos in gratiam producentis reſpondebant, ita reliqui, ſimplicitate quadam ita ducti, ut primis contradicere non auderent, eadem reſpondebant, quæ ſeparatim examinati aliter enunciaſſent. Antequam etiam Rotulus conficeretur, cauſidicus iſte protocollum Notarii & depoſitiones in hoc conſignatas ſibi a Notario communicari petiit, & omiſſis depoſitionibus contrariis cum ſuis articulis, favorabiliores tantum, mutatis numeris articulorum in Rotulum redigi curavit.

*Juramenti delatio.* 3. Accidit haud raro, (α) ut cum pupillo aut abſente litigans protractionem proceſſus variis ex cauſis quærat, ad hanc itaque obtinendam juramenti delatione, licet etiam ſuper facto ficto fiat, utitur, per quam lis vel ad pubertatem vel reditum adverſarii per jura notoria ut ſuſpendatur neceſſe eſt.

(β) Fieri

(β) Fieri quoque ſolet, ut quis alterum vel in præſentia teſtium vel etiam abſque his ad dandum, faciendum aut reſtituendum quid obliget, & poſtea obligationi iſti abſque teſtibus & ſcriptura ſatisfieri curet. Licet nunc obligatio iſta per ſatisfactionem ſit ſublata, nihiloſecius tamen ex iſta adhuc movet contra ſibi antea obligatum actionem de obligatione contracta, eandem aut per teſtes aut per ſcripturam aut etiam per juramenti delationem probaturus. *Reus*, litem affirmative conteſtatus, opponit quidem cum juramenti delatione exceptionem ſolutionis aut adimpleti contractus, *actor* autem eandem jurato diffitetur & per hoc *reum* ad denuo ipſi ſatisfaciendum compellit. Quo in caſu nec ſolviſſe aut ſatisfeciſſe, nec chirographum repetiiſſe ſufficit, ſed præprimis, ſi cum homine, de cujus integritate alter non ita certus eſt, res ſit, probationibus de ſolutione & ſatisfactione præſtita ſufficientibus ſtudendum erit.]

*Confeſſio partis adverſæ.*

4. Confeſſio partis adverſæ uti optima dicitur probatio, ita non tantum extrajudicialiter, prout ſupra dictum; ſed etiam in judicio per varias artes aliquando elicitur, differendo hinc inde in poſitionibus de factis, quæ fundamentum cauſæ primario conſtituunt, ad quæ ſi adverſarius præprimis loquax multa reſpondeat, non raro in his unam vel alteram circumſtantiam in favorem partis contrariæ fatebitur. Sic *Pyleus*, *Patronus cauſarum*, quondam *calidiſſimus*, apud *Brederod. in Cautel. Civil. pag. 695.* Sequenti ſtrategemate ad eliciendam ab adverſario confeſſionem utebatur: Cum quidam civis domum prope vi-

pe viam publicam ædificaret, cæmentarius in tecto conſtitutus & tegulam projecturus exclamavit alta voce, caveto! caveto! Sed quidam homo, illam admonitionem nihil curans nec ſibi proſpiciens, lapide in tranſitu fuit percuſſus, quapropter cæmentarium hunc in judicium vocavit, qui a Pyleo patrocinium cauſæ petiit, hic cauſa audita clienti dixit, non deficit tibi jus, ſed probatio, noli vero in judicio vel verbulum aliquod proferre, & inſtar muti ad omnia judicis & partis adverſæ dicta ſanctum quaſi fovere ſilentium, ſinens me ſolum verba pro te facere. Venerunt ſic litigantes in judicium, & quando judex reo reſponſionem ad actionem propoſitam injungebat, Pyleus reſpondit, clientem eſſe mutum, ſimulque dilationem cauſæ rogavit, actor autem ſtatim regeſſit: quod Pylei aſſertio veritate deſtituatur, quoniam ipſe reum audiviſſet ſat diſtincte loquentem & exclamantem, caveto! caveto! Tum Pyleus ejus dicta & confeſſionem ad acta redigere & ſic rei abſolutionem decernere petiit per *L. ſi putator* 31. π. *ad L. Aquil.*

*Remedia ſuſpenſiva & devolutiva.*

5. Practici communiter ſtatuunt, leuteratum in primo termino impune non comparere, quoniam ſententiam pro ſe obtinuit; ſed ejus contumacia merito deberet coërceri refuſione expenſarum, cum prior ſententia ſaltem ad hoc ei prodeſſe deberet, ut in ſententia reformatoria non condemnaretur in expenſas.

CIRCA PROCESSVS CRIMINALIS ANTECEDENTIA;

## §. IX.

### CIRCA ANTECEDENTIA PROCESSVM CRIMINALEM.

1. Aliquando Titius, reus criminis alicujus, Mævium

vium teſtem hac de re habebat ſibi quidem contrarium, omni tamen exceptione majorem, hinc veritus iſte Titius periculum proceſſus inquiſitorii præſentiſſimum, ad rejiciendum futurum Mævii teſtimonium adhibebat hoc impium ſtrategema: Miſit amicum Cajum ad Mævium ipſi familiarem, qui inter alios ſermones de crimine a Titio commiſſo mentionem faceret, & notitiæ propalationem ab illo eliceret, huic Mævius ea, quæ ſibi hac de re erant cognita, amice manifeſtabat. Cajus dicta Titio referebat, qui contra Mævium judicium diffamatorium vel etiam actionem injuriarum, adjecta ſuper injuria verbis prolata juramenti delatione, inſtituit. Motus poſtmodum fuit a judice proceſſus inquiſitorius contra Titium, vocato in teſtimonium Mævio, quem inquiſitus Titius, ut ſibi propter dictum litigium inimiciſſimum & in propria quaſi cauſa teſtimonium facientem, plane rejecit, ſicque deficientibus aliis teſtibus innocentiam ſuam prætenſam facili opera obtinuit.

2. Cum in cauſis criminalibus maxime in defenſione pro avertenda, & ſi inquiſitus ſit perſona bonæ famæ indiciaque ad torturam haud ſufficiant, jurata criminis commiſſi diffeſſio ab inquiſito facta magnum pro innocentia rei conſtituat momentum, ita, ut judex, indicia ad torturam inſufficientia eſſe, juramentum purgationis autem propter dictam juratam diffeſſionem ſuperfluum & irritum fore videns, facile ad ſententiam ſimpliciter abſolutoriam inclinet; Defenſores advocati multis modis juratam iſtam diffeſ-

ſionem

ſionem in medium producere ſolent, cujus rei exemplum refert *Celeb. Dn. Ludovici* in der Einleitung zum Peinl. *Proceſs:* ubi advocatus reum criminis ut teſtem coram Notario de commiſſo crimine jurato examinandum fecit, ſententia autem ſubſequens hanc juramenti diffeſſorii præſtationem reprobavit. Alii ſubtiliori modo ſcopum hunc impie aſſequuntur, rem cum tertio quodam ita componentes, ut reo criminis contra hunc propter imputationem criminis illi factam, actionem injuriarum moventi, exceptionem veritatis opponat, ac ſuper illa juramentum deferat, quo acceptato & cum remiſſione juramenti calumniæ judicialiter præſtito, teſtimonium ejus rei judiciale ad acta inquiſitionalia producunt, ſuſpicionem ex voluntaria juramenti præſtatione alioquin contra ſe ortam per hoc removentes.

3. In puncto homicidii doloſi Brederodius ſupra citatus ſequens in Caut. Crim. pag. 932. allegat ſtrategema: Quidam, inquit, tradunt mirabilem pro lethaliter vulnerante, ſi ſit vir magnæ exiſtimationis aut dives, aut is, qui per fugam carceribus ſe ſubducere haud poſſit, ad evitandum mortis ſupplicium, cautelam, ſcilicet, ut lethaliter a ſe vulneratum, priusquam ille ex hoc vulnere moriatur, maturius a tertio vilioris conditionis homine & cui non tantum ac iſti imminet periculum, occidi quovis modo procuret, quoniam hoc facto non primus lethaliter vulnerans ſed ſecundus occiſor de homicidio, cujus pœna mortis ob legis divinæ diſpoſitionem rariſſime mitigari aut ex gratia principis remitti ſolet, teneretur,

per

per *L. It. Melæ ſcribit* § *Celſus & L. huic ſcripturæ* § *fin. π. ad L. Aquil.* quamvis primus vulnerans de vulneribus inflictis teneatur *L. ita vulneratus π. ad L. Aquil.* ubi *Baldus* addit, *quod advocatus pro tali conſilio debeat ſuſpendi*, quo in caſu tamen, monente citato Brederodio, inter vulnus certisſimo lethiferum & dubitative tale diſtinguendum erit.

4. Peſſima ex carcere cum detur reſponſio, idcirco improbi advocati ad fugam ex carceribus ſuſcipiendam varias artes ſuggerere ſolent, ut inquiſiti aut vi aut per inebriationem ſive etiam corruptionem vigilum imo quandoque judicis, aut ope veſtitus alieni aut alio modo aufugiant, quibus memorabile illud ſtrategema, per quod uxor Celeberr. Hugonis Grotii hunc ſuum maritum, ad perpetuos carceres in Belgio condemnatum, ope ciſtæ librariæ liberavit, in tantum annumerari poteſt, ut quoad perſonam conſulentis advocati, qui magiſtratui inquirenti per juramentum fidelitatem promiſit, ſit illicitum, quamvis quoad inquiſitum committentem in propria cauſa non ita illicitum dici poſſit.

§. X.

CIRCA IPSUM PROCESSUM CRIMINALEM.

1. Salutari defenſionis remedio tam inquiſitum nocentem, quam ipſius advocatum ſæpius in tantum abuti videmus, ut hic clientem ad negandum inſtruat, & argutas reſponſiones ipſi ſuggerat, ille autem pertinaciſſime neget non ſolum delictum ipſum, ſed etiam prius judicialiter dicta contraria, & prout occaſio proceſſus inquiſitorii requirit, mox furioſum,

CIRCA PROCESSUM CRIMINALEM IPSUM. *Defenſio.*

G ebrium,

ebrium, valetudinarium, ſurdum aut mutum ſe ſimulet, judicemque ut ſuſpectum accuſet & veritatem actorum impugnet, quo ipſo & confuſioni & protractioni proceſſus inquiſitorii ſub ſpe, interim aliquid in ſui commodum fore, anſam dabit. Ad hunc finem obtinendum defenſores varias excogitant fraudes, modo per medicum inquiſitum, putative ægrotum, in carceribus viſitantem, modo per vetulam aut aliam perſonam inquiſito tali ſervientem cum inquiſito ex actis hinc inde communicantes & rem componentes; ſicuti autem ejusmodi remedia illicita quandoque inquiſito multum proſunt, ita ut periculoſiſſima ſæpius maximo cum inquiſiti diſpendio adhiberi quotidiana experientia teſtatur.

*Teſtes.* 2. Laudatus ſupra Brederodius (α) ad fundandam contra teſtem inimicitiæ & ex hac inhabilitatis exceptionem alleg. Cautel. Crimin. pag. 862. malitioſum hoc ſtrategema adducit, ut teſtis contrarius alapa aut alio modo percutiatur & propter id inimicitiæ exceptio opponatur. Cum autem inimicitia facto ipſius, contra quem teſtis producitur, interveniens hunc a teſtimonio dicendo non repellat, non magnæ utilitatis ſtrategema hoc eſſe exiſtimamus, niſi callidiori invento e.g. teſti illi cum aliis ſe ſociando & injurias tam reales quam verbales inter omnes ſocios, cui ipſe & teſtis dictus annumerandus, per tertium ita excitando, ne teſtis ille ab adverſario hoc proficiſci ſuſpicetur, percuſſio & læſio ac per hanc inimicitia cauſetur.

(β) Idem Brederodius cit. loc. pag. 871. pro ſtrategे-

tegemate ſuppeditat, ut in cauſa criminali ſive per modum inqiſitionis agatur, judicem corrumpendo, ſive per modum accuſationis procedatur, accuſatorem aut ejus procuratorem ita ſubornando, ut tales teſtes contra inquiſitum vel accuſatum nominent & producant, qui aut ſunt amicisſimi cum inquiſito & accuſato, aut de veritate criminis plane nihil ſciunt, ita ut per depoſitiones eorundem reo favorabiles hic abſolvatur & delictum commiſſum maneat impunitum, cave autem, addit Brederodius dict. loc., ſtrategemate hoc in perniciem animæ tuæ utaris.

3. Dictum eſt ſupra in ſtrategematibus cauſarum criminalium licitis judicem inquiſiti, inter tormenta delictum confitentis in die ratificationis autem confeſſa revocantis, ſtrategemati per contrarium ſtrategema tormentorum realiter infligendorum occurrere poſſe. (α) Contra quod ſtrategema contrarium advocati improbi torquendo iterum pro ſtrategemate ſuggerrere ſolent, ut inquiſitus ita tortus nihiloſecius in negatione perſiſtat, dum per confeſſionem criminis tormenta neutiquam evitari queant, aut ſaltem in applicatione ultimi torturæ gradus, ſi antecedentium graduum applicationem realem per confeſſionem evitare neutiquam poſſit, pertinaciter neget, & ſic finem tormentorum eludat. (β) Experientia etiam comprobat, torquendum haud raro carnifices muneribus ita corrumpere, ut multis verbis & geſtibus rigoroſam tormentorum applicationem erga judicem ſimulent, re ipſa autem inquiſito parcant, & ut judicem ab acceſſu & inſpectione *Tortura.*

 abſtra-

abſtrahat uterque, tortus vel quaſi dolores fictos multis lamentationibus ac lacrymis indicare ſolet.

*Sententiæ Executio.* 4. Ad differendam ſententiæ criminalis executionem, in quo miſeri condemnati ſub ſpe aggratiationis conſequendæ, aut ſubeundæ mortis naturalis, aut etiam fugæ arripiendæ, multoties ſolatium ſibi quærunt, quam plurima ſtrategemata adhiberi videmus. (α) Solent rei in ultimo judicio criminali condemnatorio beym hoch-nothpeinlichen Halß-Gerichte, quod executionem criminalem antecedere conſuevit, non tantum confeſſa ſua priora revocare, ſed etiam delicti ipſius veritatem pernegare, imo quandoque contra executionem intentatam ſub proteſtatione ad judicem ſuperiorem appellare. Cum itaque confeſſio delinquentis etiam coram dicto judicio ultimo juxta mores ante executionem ſit neceſſaria, & inſuper negotii gravitas exigat, ne per feſtinationem aut culpam judicis miſero reo damnum irreparabile inferatur, item circa exiſtentiam corporis delicti ad evitandam proceſſus nullitatem non leve ſæpius dubium oriri queat; Judex inferior executionem intentatam in aliquod tempus differre & interim revocationem ac momenta, a condemnato prolata, aut judicis ſuperioris aut collegii juridici cognitioni & deciſioni definitivæ committere haud recuſabit. (β) Subornatur interdum puella, quæ pro remittenda pœna capitali in favorem matrimonii, cum reo contrahendi, ſupplex intercedat. Quamvis igitur mores cujusdam loci iſtam interceſſionem præprimis in militibus transfugis aut aliis delictis capitalibus, in quorum aggratiatione

 jus

jus tertii per delictum hoc læſi aut ſcandalum aliquod nihil impedimenti adfert, quandoque approbent, juſtitiæ tamen fini & utilitati publicæ, delictorum pœnam jubentis, plane refragari & conſequenter in totum, niſi aliæ circumſtantiæ mitigationem aut remiſſionem pœnæ ſuadeant, reprobari eandem debere noſtra eſt ſententia. (γ) Huc referri poſſunt Brederodii ſupra allegati conſilia in Cautel. crimin. pag. 938. & 939. ſuppeditata, ut ſcilicet reus, criminali pœna afficiendus, de graviori crimine accuſetur, aut à tertio ad rationes de rebus ſibi geſtis reddendas cum proteſtatione contra executionem, antequam hoc fiat, conveniatur, aut etiam teſtes criminales de falſo accuſentur. (δ) Fœminæ reæ mortis vel etiam pœnæ corporis afflictivæ mariti aut alterius cujusdam maſculi acceſſum in carceres procurant, ad hoc, ut graviditatem ſimulare eoque ipſo executionem aut differre aut pro pœna corporis afflictiva reali imaginariam reportare ſibi contingat.

Plura tam licitorum quam illicitorum ſtrategematum exempla jam addidiſſemus, niſi Diſſertationem hanc annotationibus ac exemplis practicis auctam in poſterum, auxiliante Deo, ſiſtere nobis animus eſſet. Subſiſtimus itaque hic, judicibus, advocatis, omnibusque, quorum curæ juſtitia cauſarum controverſarum ſubjacet, egregia illa verba, quæ in Monaſterio Carthuſianorum, quod Coloniæ Agrippinæ floret, ſtatuæ inciſa leguntur, commendantes, ſunt autem hæc:

*Judicabit Judices Judex Generalis,*
*Ibi nil proderit dignitas Papalis,*
*Sive ſit Epiſcopus, ſive Cardinalis,*
*Reus condemnabitur, nec dicetur qualis.*
*Ibi nil proderit quidquam allegare,*
*Neque quid excipere, neque replicare,*
*Nec ad Apoſtolicam ſedem appellare,*
*Neque Codicillos Cæſaris citare,*
*Reus condemnabitur, nec dicetur quare,*
*Cogitate miſeri, quid & quales eſtis?*
*Quid in hoc judicio dicere poteſtis?*
*Hic non erit Codici locus, nec Digeſtis,*
*Idem erit Dominus, Judex, Actor, Teſtis.*

# ESTO TRIVNO GLORIA LAVSQVE DEO!

## EPISTOLA PRÆSIDIS

*AD NOBILISSIMVM HVJVS DISPVTATIONIS SOLENNIS*

## AVTOREM ET RESPONDENTEM.

INgenium nactus es, Amice ſuaviſsime, natura practicum pariter & argutum, excogi-

cogitandis & declinandis ſtrategematibus aptisſimum. Unde Tibi ſtatim arriſit hæc materia, poſtquam nuper admodum de ſumendo ſolennis Diſputationis themate conſilia inivimus. Optaſſem, ut ſub initium praxeos, a Te per aliquot annos feliciter exercitæ, hoc argumentum elegiſſes, quo majorem exemplorum apparatum collegiſſes, inque promtu habuiſſes. Strategemata enim arguti quid continere debent, quâ ratione a ſimplicibus cautelis diſtinguuntur. Futura tamen praxis Tua ſuppeditabit plura magisque appoſita exempla, quibus olim publico ſcripto argumentum hoc illuſtrabis. Advocati, per ſtrategemata circumvenientes alios, magnam cautionem adhibere tenentur, ne adverſariorum jura lædant, nec, dum clientum cauſas multa circumſpectione gerunt, propriam h. e. æternam ſuam ſalutem negligant. Quotusquisque in foro reperitur, qui nihil non tentat, variasque excogitat artes, ut in cauſa, patrocinio ſuo commiſſa, palmam reportet, de cætero parum penſi habens, qualem rationem Deo in judicio extremo ſit redditurus. Non protinus ſupremo huic judici probantur actiones,

quæ

quæ in foro humano ſine cenſura transmittuntur. Sicuti enim inter homines, ut actio dicatur juſta, paucæ ſufficiunt circumſtantiæ, ita contra in foro conſcientiæ & coram Deo oportet omnes eſſe rectas, ut actio carere vitio cenſeatur. Igitur per omnem praxin Tuam probe advertas, ut ſtrategematibus utendo conſcientiam non lædas; ſic Dei gratia, quam Tibi ex animo precor, jugiter frueris. Vale.

Es will, geehrt'ſter Freund/ mein Kiel hier an
Dich dencken,
Denn will dein Fleiß Dir nun die DOCTOR-
Würde ſchencken,
So wünſch' ich Glück darzu. Ich ſchreibe kurtz
doch gut:
Du nimmbſt gar wohl verdient mit Ruhm den
DOCTOR-Huth.

Mit dieſen wenigen gratuliret dem Herrn Doctorando zu ſeiner erlangten Doctor-Würde der

*Opponens.*

Johann Heinrich Hartleben. J. V. D.
& Conſil. Saxo-Iſenac.

SAcra Themis tandem juſſit poſt longa laborum
Tædia decretam TRAUTMANNO prendere palmam,

Qui

Qua ſolet aſſiduos bene conderorare ſequaces.
Ergo diis placidis Themidos conſcende palæſtram,
Præripe devictis generoſo marte triumphum
Adverſis, patriæque novum TRAVTMANNE decorem
Adde TVÆ creſcant communia gaudia amicis,
Vulnera juſtitiæ CAVSARVM tolle PATRONE,
Jure ſalutifero depromptam addendo medelam,
Lapſaque facundæ repara munimine vocis.
Illicitumque dolo STRATEGEMA refelle peræquo.

gratulaturus adponebat
Johannes Hartmann J. V. D
*Opponens.*

QUae bona, quae mala ſint εὑρήματα PATRONORVM,
Ingenuo calamo, doctiloquove doces.
Hinc Aſtrea TVOS ornat diademate crines,
Roſtraque complentur laudibus ipſa TVIS.

Haecce gratulabundus αὐτοχεδιαςὶ
poſuit.
N. G. Dreſſel. J. V. D.
*Opponens.*

*CONSVLTISSIMO*
# *DOMINO DOCTORANDO*
χαίρειν
Gottlieb Slevogtius J. V. D.
*Opponens.*

*VErum eſt, pleroſque ex numero Advocatorum conſcientiæ ſuæ plane oblitos, in cauſis forenſibus tractan-*


*dis*

*dis nihil aliud curare, quam ut ex victoria gloriam & pecuniam reportent, nec graviſſimum D. Imperatoris animadvertere axioma:* Si pro cauſis corporalibus cogitamus, quanto magis pro animarum ſalute providentia eſt noſtræ ſollicitudinis adhibenda! Nov. 115. c. 3. *ſub fin. Non mirandum igitur, quod conſcientia Advocatorum plane in ludibrium abierit, & vulgus homini, conſcientiam negligenti, tribuat* ein *Advocaten*-Gewiſſen/ *eum vero, qui conſcientiæ ſuæ legitime conſulit in negotiis ſuis, ad negotium advocationis ineptum judicet:* Er diene nicht zum *Advocaten*/ weil er allzu gewiſſenhafft! *quaſi advocatus non poſſit non negligere mentem recti æquique conſciam. Audiunt advocati* clariſſima eloquentiæ lumina L. 6. C. de Advocat. div. Judicum, *ſed multi nihil aliud agunt, quam ut arte rabuliſtica ſcientiam legitimam obſcurent, aut (ſi appellationem luminis retinere magis placet) nequiſſimis hominibus, rerum alienarum avidis, facem ac lumen præferant. Tribuitur ipſis, quod* lapſa erigant, fatigata reparent, & laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendant, in L. 14. C. de advocatis diverſ. Judiciorum. *Sed quid faciunt multi ex cauſſarum forenſium patronis? ſuſcipiunt (1.) rem injuſtiſſimam ſcienter & ex proæreſi defendendam, ut lapſum non erigant, ſed opprimant, & bonis ſuis exiguis ſpolient; Cum enim in re injuſta defendenda finem intendunt, ut ſuæ & clientis avaritiæ ſatisfaciant, & gloriam ex victoria in re deſperata reportent, reo ſcilicet, crudelitatem actoris & incommoda proceſſus valde timenti, transactionem extorquendo. Habent enim hanc iniquiſſimi rabulæ cautelam, quod agendo vel defendendo litem ſuper cauſa in-*

*juſtiſ-*

*juſtiſſima incipiant, ut adverſa pars minus potens aut pauper ex metu proceſſus imminentis aliquid pro redimenda vexa ſolvat, glorioſum hoc & fructuoſum ſibi fore reputantes; ſed vero ubi manet conſcientia? Ah miſerrima gloria! infauſta pecunia! Certe quicunque advocatus per rei injuſtæ defenſionem ſcienter adverſæ parti vel obulum tantum extorquet, committit crimen furti, & eandem cum fure ſubit reſtitutionis obligationem, & parum differt a ſpoliatore, qui viatorem per injuſtum aggreſſum cogit, ex metu majoris mali ſarcinas ſuas tradere. Imo ſi advocatus injuſtam defendens cauſam adverſæ parti nihil extorquere poſſit, committit tamen in eo ſpolii crimen, quod tam multis expenſis a parte adverſa ferendis det cauſam, ideoq; fiat autor damni & adverſam partem bonis ſuis & facultatibus exuat. Sicut igitur*, ſi quis de manu alicujus nummos aureos vel argenteos vel aliam rem excuſſerit, ita furti teneatur, ſi ideo fecit, ut alius tolleret, isque ſuſtulerit, *juxta* L.52.§.13 ff. de Furt. *ita puto furti quoque teneri eum advocatum, qui injuſtæ cauſæ opem conſiliumq; ferendo efficit, ut pars innocens in proceſſum involvatur, & in irreparabilem interdum facultatum ſuarum jacturam conjiciatur. Utinam hoc ſollicite cogitarent ii rabuliſtæ, qui de tali rapina vivunt, & gloriam ex cauſæ deſperatæ defenſione quærunt! Deinde graviter peccant advocati adverſus conſcientiam, qui* (2.) *in re dubia & ſcrupuloſa litem ſumtuoſam excitant. Si enim ipſum jus naturale probibet, adverſus conſcientiam dubiam aut ſcrupuloſam agere, eadem prohibitionis ratio adeſt in advocato, qui de juſtitia cauſæ non certus eſt, ſed dubius aut ſcrupuloſus; Recte igitur ſibi conſulunt advo-*

*cati in tali caſu, ſi dubia & ſcrupulos Juris peritis exponunt, eorumque conſilium expetunt, aut a cauſa plane abſtinent, ne conſcientiæ reatum contrahant. Licet enim cauſa ſit juſtiſſima, ſi tamen advocato aut clienti injuſta videtur, non poteſt ea absque reatu conſcientiæ ſuſcipi, quia animus peccandi adeſt. Sed hic quæritur: an (3.) advocatus conſcientiam violet, qui rem per ſe injuſtam tractat, quam tamen errore aut ignorantia ductus juſtam eſſe putat? ſicut enim is advocatus conſcientiæ ſuæ vim infert, qui rei juſtæ, quam tamen pro injuſta habet, patrocinatur, ita videri poteſt is advocatus ſecundum, non contra conſcientiam facere, qui rem injuſtam, quam tamen pro juſta habet, ope conſiliove adjuvat, cum abſit animus peccandi; ſed vero diſtinguendum eſt: an advocati error aut ignorantia verſetur circa factum, an circa jus? ſi advocato facta a cliente erronee ſunt relata, excuſandus eſt, ſi apparet eventu, factum ſe aliter habere, quam relatum fuerit ac defenſum, cum advocatus omnia ad relationem clientum facere debeat; ſi vero in advocato adeſt error aut ignorantia juris, e. g. ſi actionem plane ineptam inſtituit, minime excuſandus erit, nec vulgatum illud:* non putaram *ei proderit, melius enim & rectius ſcire debuiſſet; committit igitur culpam a ſe præſtandam, & conſcientiam valde lædit, nec aliter a conſcientiæ reatu ſe liberare poterit, quam reſtitutione expenſarum, & damni clienti ſuo adverſæque parti illati reparatione. (4.) Lædit conſcientiam advocatus* δωροφάγος, *qui pecunia ſe obcæcari patitur, & absque diſtinctione temporis, loci aut perſonarum munera accipit, cum tamen vetus proverbium:* οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε πα-

ϱὰ πάνlων, quod in L.6.§.3. de off. Proconſ. magiſtratui applicatur, advocatis quoque dictum videatur. (5.) Obeſt conſcientiæ advocatorum Proſopolypſia, quæ efficit, quod cauſidici judicibus injuſte judicantibus non obloquantur, ſed magno cum clientum damno taceant. Verum quidem eſt, omnem bonorem ac reverentiam judicibus ab advocatis deberi, cum judices repræſentent Juſtiſſimum Deum; ſed hæc reverentia non debet eſſe cœca aut ſuperſtitioſa, nec obſtare, quo minus juſtam cauſam etiam adverſus ei obnitentes patroni ſtrenue defendant. (6.) Lædit advocatus conſcientiam, in juſtiſſima etiam cauſa moram ex mora nectens, & minus neceſſaria expediens, tantum, ut ſportulas augeat; & (7.) injuſto utitur adquirendi modo, cum in cauſa non dubia ſed certiſſima clientem ſuum ad tranſigendum ſuper quota litis compellat, per incommodaque proceſſus plus juſto eum adigat, ut ei actionem pinguiſſimam pro leviſſimo pretio cedat. Non minus (8.) lædit advocatus regulas juſti, ultra taxam ei præſcriptam ſportulas a clientibus ſuis exigendo, nec dubitandum, eas ceu indebitas a clientibus condici poſſe ac repeti. Tandem (9.) Quæritur: an advocatus talem cauſam impugnare, quæ per ſe juſta eſt, ex accidenti vero & propter apices juris ſit culpabilis, ſalva & illæſa conſcientia poſſit? e. g. ſcripſit aliquis teſtamentum, ex ignorantia vero juris neglexit ſolennia, adhibuit tantum 6. teſtes, vel attulit teſtamentum judici non in perſona ſed per alium a ſe delegatum, aut exheredavit filium ex juſta quidem cauſa, ſed non tali, quæ inter 14. cauſas famoſas reperitur; vel non recte determinavit legitimam &c. igitur quæſtio eſt: an tale teſtamentum ſalva conſcientia impugnari poſſit ab

eo, qui certiſſime ſcit, defunctum tale teſtamentum revera ſcripſiſſe ac ſubſignaſſe, & ita revera teſtari voluiſſe? & an advocatus tali impugnatori ope conſiliove ſubvenire ſalva conſcientia poſſit? Qui affirmant, allegant has imprimis rationes: quod jura vigilantibus ſint ſcripta, & is qui ea e. g. in teſtamento negligat, eorum beneficiis gaudere non mereatur, nec is criminis ſit damnandus, qui ejusmodi actum neglectis LL. celebratum impugnet, ac protuendis legibus agat, imprimis cum actus contra leges tentatus merito pro nullo haberi debeat, & quæ contra leges ſint, ea quidem nec facere nos poſſe credendum ſit. Hæc ſatis ſpecioſe affirmantes: Qui vero negant, fundamentum ponunt in æquitate naturali, quæ non permittat, ultimam teſtatoris voluntatem, quam certo ſcimus, infringere, aut bona defuncti contra ejus voluntatem, ad nos rapere, licet teſtator quasdam ſolennitates, quæ non ſunt de ſubſtantia voluntatis, ſed tantum ad probationem pertinent, ex ignorantia (ſecus ſi ex proæreſi) neglexerit; deinde deducunt, ſolennitates iſtas & juris apices ideo tantum eſſe introductas, ut ſolennem afferant probationem, teſtatorem revera ita, ut in teſtamento ſcriptum eſt, voluiſſe, & deficientibus ſolennitatibus præſumi quidem teſtatoris voluntatem, non autem talem, qualis in teſtamento expreſſa eſt, fuiſſe; ſi vero quis certo ſciat, & in conſcientia ſua convictus ſit, tale teſtamentum a defuncto revera fuiſſe conditum, e.g. ſi id manu propria ſcriptum eſt ab eo, ac ſubſignatum, aut ſi 6. teſtes omni exceptione majores id confirmant, & ſic ulteriori probatione opus non habet tunc præſumtionem iſtam contrariam ſponte ceſſare, & tale teſtamentum illæſa non poſſe impugnari conſcientia, nec



here-

hereditatem tertio adſcriptam juſte peti, nec poſſe advocatum ſalva conſcientia opem auxiliumque in tali caſu contra teſtamentum ferre, cum bonæ fidei non congruat, de apicibus juris diſputare. L. 29. §. 4. ff. Mandat. Alius quoque & fere ſimilis caſus occurrit circa obligationem mulieris, ſine ſolennitatibus juris. e. g. ſine jurata jurium ſuorum renuntiatione initam, an ſcilicet mulier ſalva conſcientia ab obligatione tali reſilire, & ad defectum apicum juris refugere poſſit? & an advocatus illæſa conſcientia talem exceptionem mulieri ſuggerere queat, eo imprimis in caſu, ubi mulier non jocandi animo, ſed ſerio & intentione ſe obligandi, talem ſubiit obligationem? Qui hoc negant, provocant ad æquitatem naturalem, quæ promiſcue tam a viris quam a fœminis exigat: ſtandum eſſe promiſſis; qui vero affirmant allegant: tales juris ſolennitates eſſe de ſubſtantia obligationis mulierum, ita ut obligatio neglectis iisdem juſtas ob cauſas pro nulla ſit habenda. Hi igitur ſunt præcipui caſus conſcientiæ advocatorum & præcipua eorum delicta, circa quæ tandem moneo, ea non ipſi ordini advocatorum, qui omnino per ſe factus eſt juſtus & honorandus, ſed tantum quibusdam perſonis, ordine hoc indigne fruentibus, imputanda eſſe; ſicut dignitas paſtoralis eccleſiaſtica per ſe eſt venerabilis, licet haud pauci paſtorum horrendis inquinati ſint vitiis. Sed argumentum hoc ultra non proſequar, id unice vovens, ut quilibet advocatus officio ſuo integre, modeſte ac prudenter, admonitum Dn. Huberi in Prælect. ad T. ff. de Poſtul. n. 11. fungatur; poſſe autem hoc fieri, clariſſimo hactenus TVO exemplo, CONSVLTISSIME DOMINE DOCTORANDE, probaſti. Non me in laudes TVAS ef-

fun-

*fundam, merita TVA copioſiſſima de Jurisprudentia Forenſi non repetam, hoc enim non permittit modeſtia TVA; provoco tantum ad florentiſſima iſta Judicia, in quibus quotidie cauſſas forenſes tractas integre, prudenter, ac modeſte, lapſa erigis, fatigata reparas, & laborantium ſpem, vitam, ac poſteros ad monitum D. Imp. tueris. Non igitur mirandum, quod digna meritis TVIS præmia, ſummos ſcilicet in VTROQVE IVRE HONORES conſequaris, & egregium publicumque eruditionis documentum edas. Meum eſt officium, hoſce honores TIBI, VIR CONSVLTISSIME, ex animo gratulari, TIBI, Eruditionem TVAM publico documento probaturo, applaudere, TIBI feliciſſimam ſummorum iſtorum HONORVM, quos ILLVSTRIS ORDO ICTORVM conferet, uſuram, fortunam florentiſſimam, optatiſſimumque cum THEMIDE contubernium, & tandem amantiſſimam, cum ſis AMANDVS, vitæ ſociam adprecari. Vale. Dabam Apoldæ d. 20. Jan. 1720.*

LUdere vos tentat Doctor STRATEGEMATA PANDENS,
Admoniti cives HVNCCE cavete VIRUM!
Judicis incauti laqueos hic tendere, cauſam
Molitur Themidos, fallere jura fori,
Credite, cauſidici Vobis nocitura minatur,
Vos pungens docta cuſpide corripiet,
Vertere facta poteſt, partisque (cavete clientes!)
Adverſæ didicit frangere tela ſuæ;
Mille modis etenim variata aſtutia fallit,
Cum quis conatur conſeruiſſe manus.

Nec

Nec foret ulla fides NOSTRO tribuenda novello
DOCTORI, ni eſſet Nomen & omen EI
TRAUTMANNUS: Vox illa VIRUM deſignat, in omni
Munere fungendo cui ſit habenda FIDES.

Hæc amicitiam teſtatus
apponere voluit.
F. M. Roſt. J. V. D.

WJe eine ſtarcke Brut von Advocaten-Streichen
Verſchlagner Eigennutz ſo reichlich ausgeheckt,
Die doch der Ehrligkeit zu großem Tort gereichen,
Hat Dein gelehrter Geiſt, geehrt'ſter Freund/entdeckt.
Es iſt dieß eine Frucht, ſo aus der Wurtzel käumet,
Die Dein bißher'ger Fleiß ſo glücklich angebaut,
Denn wer die Faulheit ſtets, wie Drachen, weggeräumet,
Dem wird das güldne Vließ der Ehren anvertraut.
Mir, der ich jederzeit vor Dich im Hertzen hege,
Was wahre Freundſchafft nur ins Hertze prägen kan,
Wird der erfreute Geiſt bey deinem Ruhme rege,
Und zündet in der Bruſt ein Freuden-Feuer an.
Erſteige ferner denn den Appennin der Ehren,
Der Deiner Tugend ſich zu keiner Zeit verſchließt.
Dein Glücke müſſe ſich mit Deinem Ruhme mehren,
Daß Dein beglückter Fleiß den rechten Lohn genieſt.

Jena den 3. Febr. 1720.

Zu Bezeugung wahrer Freundſchafft
ſchreibet dieſes dem Herrn
Doctori zu Ehren.
J. S. Schomburg Med. D.

FAma bonum, quo non aliud felicius ullum ;
FIDUS VIR remanet, quisquis huicce ſtudet.
Difficilis ſtudiis TE deterrere juventus,
TRAUTMANNE, haud potuit, ſorsque moleſta diu:
Sed magis adverſis creviſſe exercita viſa eſt,
Et Muſas, virtus, hinc adamaſſe, TUA;
Quas alacer proin haud una regione ſecutus,
Doctrinæ auxiſti non ſimulanter opes.
Inde ſuis cepit cupide TE amplexibus, atque
Levifera edocuit jura ſacrata Themis.
Id probat hoc Specimen, dias in luminis oras
Quod profers, Famæ non ſine flore TUÆ.
Gratulor ex animo, cedat victoria fauſto
Auſpicio, & tandem digna brabea feras.
Digna brabea feras, comitantur juris honores
TE juris DOCTUM; En! Gloria, Fama venit.

Hisce bonæ ſcævæ ergo Domino Licentiato de novis honoribus gratulatur.

Joh. Michaël Jäger. Numb. Miſn. Jur. Pract.

WJe mancher Rabuliſt, Legiſt, und Zungendreſcher
Schleicht ſich ins forum ein, zu ſuchen Nutz und Ruhm,
Wo er mit Schanden muß abzieh'n, weil dieſer Wäſcher
Nicht weiß zu practiſir'n Diſtinguend klüglich um.
Ein Cauſenmacher macht mit albernen cautelen
Offt groß Geſchrey, doch Wind! alsdenn wird der Client,

Weil

Weil jene ſich zur Zahl der Advocaten zehlen,
Ein in der erſten Cur verdorbner patient.
Doch Dir/Hochwertheſter Herr Trautmann/ kan man trauen
Als einen ſolchen Mann/ der Treu und Redlichkeit
Im höchſten grad beſitzt, bey dem ſich läßet ſchauen
Kunſt und Gelehrſamkeit, Gott'sfurcht, Gerechtigkeit.
DEIN junges Alter hat gezeigt ſchon viele Proben,
Und mancher kluger Streich/damit dein Feind verletzt,
Muß warlich überall DICH als den Meiſter loben,
Drum Themis Dir zum Lohn den DOCTOR-Hut aufſetz't.

Aus ſchuldigſter Obſervanz gegen ſeinen Hochwerhgeſchätzt-Hochgeehrteſten Herrn Patron, wolte, als Derſelbe die längſt-meritirte hohe Doctor-Würde rühmlichſt annahm, Demſelben hertzlich gratuliren

C. G. Berthel, Cala Thuring.
Jur. Pract.

INtegritas vitæ, pietasque, fidesque parentum
Poſt mortem natis commoda multa parant.
Hoc quam ſit verum, ſatis experientia noſtra,
Optima quæ teſtis, Frater AMANDE, probat,
Numinis Æterni ſiquidem benedictio noſtras
Perpetuo muſas concomitata fuit,
Laudibus hunc merito celebro, dum ſidere fauſto
Conſcendis cathedram & digna brabea capis.

Soſpitet Alma Trias TE nunc Doctoris honore,
Fulgentem, multis accumuletque bonis,
Ut Valeas Vivasque diu, & poſt tædia vitæ
Splendentis ſubeas tecta beata poli.

Per-exiguis & ex tempore dictis hiſce numeris
Domino Fratri ſuo vere Amando de ſummis
in Vtroque jure honoribus, rite & ex merito
conſecutis, ex animo gratulari voluit

*Deproperabam Hilariæ*
*d. 29. Novembr. 1719.*

Joh. Chriſtianus Trautmann, p. t. Eccleſiæ
Hilarienſis in Electoratu Hannoverano
Paſtor.

SIc, virtutis amans, virtutis præmia tandem,
Ut fuit in Fatis, *Frater Amande*, refers?
*Frater Amande*, refers merito, virtutis amore
*Tu* ſiquidem Themidos Dogmata ſacra colis.
Dogmata ſacra colis, populi queîs vita ſalusque
Conſtant, utque colis, ſic quoque culta doces.
Sic quoque culta doces, poſtquam Doctoris honore,
Haud cum vulgari laude, notatus abis.
Laude notatus abis, ductu virtutis, & omni
Cui virtus cordi, ſemper *Amandus* eris.

Fratri Amantiſſimo applaud.

C. A. Trautmann, Civit. North. Secret.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0081-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0082-9

ULB Halle 3
003 948 404

Sb.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0083-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0084-0

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA
DE

# STRATEGEMATIBVS ADVOCATORVM,

VULGO Von

# Advocaten-Streichen/

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*
**DN. GVILIELMO HENRICO,**
DVCE SAXONIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ, AC MONTIVM, AN-
GARIÆ, GVESTPHALIÆQVE, ET RELIQVA.
*EX DECRETO ET AVTORITATE ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS*
IN ALMA SALANA
SVB MODERAMINE
**GVILIEL. HIERONYMI BRÜCKNERI,**
JCTI CELEBERRIMI, CONSILIARII SAXONICI, PANDECT. PROF. PVBL.
ORDIN. CVRIÆ PROVINC. JENENS. FACVLT JVRID. ET SCA-
BIN. ASSESSORIS SPECTATISSIMI.
*PATRONI, PRÆCEPTORIS, STVDIORVMQVE PROMOTORIS SVI AD*
*EXTREMVM VSQVE HALITVM DEVENERANDI,*
PRO
**DIGNITATE DOCTORALI**
PRIVILEGIISQVE EIDEM ANNEXIS RITE OBTINENDIS
IN AVDITORIO JCTORVM MAIORI
*Die 3. Febr. MDCCXX. horis ante & pomeridianis conſuetis defendet*
AVTOR
FRIEDERICVS AMANDVS TRAVTMANN
NORTHEMIA-HANNOVER. ADVOCAT. IENENS.

---

JENÆ, LITTERIS MVLLERIANIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-195585-p0085-6